Frider. Aug. Menke
1821.

De re veſtiaria, Vaſcularia & Nauali:

Ex Bayſio.

In adoleſcentulorum, bonarum literarum ſtudioſorum, gratiam.



LVTETIAE,

Apud Carolum Stephanum, Typographum Regium.

M. D. LIII.

CAROLVS STEPHANVS beneuolo lectori s.

Sic ferè hodie viuitur Lector, vt qui tum in dicendo, tum in alio quouis gerendo negotio, vni satisfecerit, omnibus ex æquo haudquaquam satisfecerit: éstque nunc, vt semper fuit admodum magna ingeniorum varietas, quorum qui exactam rationem habere cupiat, variè quoque se gerat necesse est. Id cùm diligentius perspiceremus, atque audiremus quotidie nonnullos conquerentes, quòd Lazarus Baysius, vir alioqui grauiss. non æquè pueris atque eruditioribus consuluisset: nequid posthac eorũ vtilitati detractum esse quisquam iudicaret, visum est nobis operæpretium, summã eorum quæ libellis de re vestiaria, vasculis ac nauibus continentur, breuibus perstringere, atque in ordinem disponere ex ipsius authoris voluntate ac præcepto, adiecta à nobis vulgari interpretatione, atque aliis quibusdam quæ Baysius prætermiserat, insertis: vt etiam in hac parte adolescentuli, bonarum literarum cupidiores, sibi quoque satisfactum putent: nulla

tamen authoris grauitate imminuta,ſed tãtùm ex ipſius opuſculis ſelectis iis quæ ad puerorum vtilitatẽ facere videbũtur. Neque enim nos latet,quàm inconſultè faciant ii,qui dum alienas vigilias in cõpendium aut epitomen redigunt, viris bonis laudem omnem præripiant: præſertim quum id ſuo nomini neſcio quo fato attribuant. Vteris itaque Lector hac veluti ſummula veſtium, vaſculorum ac nauium ,donec tibi integrum Bayſii libellum intelligere aut perlegere vacabit. Vale.

Summa rei vestiariæ, ex Lazaro Baysio.

VESTEM *primùm describemus, eiúsque latiores differentias: inde uerò ad particularia descendentes, eũ quidẽ ordinem obseruabimus, ut ab ipsa uestium generali explicatione, atque ipsorum ornamẽtis incipiamus, ac tum demum ad particularia uestimenta descendamus: in quibus explicandis hunc rursus ordinem persequemur, ut à superioribus ad inferiora: deinde uerò, ab intimis ad exteriora progrediamur. post hæc autem ad colores, & alia huiuscemodi pueris necessaria deueniamus.*

Variæ vestium appellationes.

VEstis, Vn habit ou habillement (Græci ἐσθῆτα *uocant*) *à natura is usus fuit, ut depelleret iniuriam cæli, & eas corporis partes, quæ minus decorè aperiũtur, obuelaret atque obtegeret: unde nomen accepisse creditur. Vestem accipere uidetur Cicero in Verrem, pro ipso panno. Hinc Vlpianus uestimentorũ omnia lanea esse scribit: ipsi quoque Iurisconsulti uestem, pro ea supellectile, quæ ad corporis operimentum in genere spectat, assumere uidentur. Sed id paulò magis diffusé. Nos autem uestimentum à ueste ita distinguemus, ut dicamus, uestimentum omnia simul uestimentorum genera comprehendere, quibus corpus tegi-*

tur (generalius enim quiddam est.) Vestem autem, ipsum indumentum seorsim & solum, ac singularem quandam uestimenti speciem.

Stola, ἀπὸ τοῦ στέλλομαι, *id comprehendere uidetur ex etymo, quod indui à nobis solet. Itaque nulla alia ratione à ueste differre uidetur, quàm ea qua uestimentum ab indumento quis differre putauerit. Quanquam non defuerunt qui inter uestimenta muliebria stolam annumerarent, inter quos fuit* Vlpianus. *Et authorem uidetur habere locupletissimum* Ciceronem *in* Antoniana *secunda, in hæc uerba:* Sumpsisti *uirilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti.* Cui *sententiæ uidetur accedere* Vitruuius *libro* 1, Cum Cariatides *matronas stolatas depingi ab antiquis solere ait, & pro columnarum ornamentis ad fulcienda ædificia rectas erigi.* Stola *item pro cultu à quodam* Græcarum *elegantiarum scriptore poni uidetur ex* Plutarcho *in* Alexandro.

Vestis *insignis,* Robe d'estat ou d'honneur, *qualis nunc à nostris consulibus aut forensibus geritur, quasi uerò consularem & nobilem ac splendidam uestem dicamus.* Liu. *Flaminem* Ioui *assiduum sacerdotem creauit, insignique eum ueste & curuli regia sella adornauit.* Q*uinetiam insignia gentilia hodie dicimus, quæ uulgus arma uocat, quasi armis quæsita.* Des armairies. Forensem *quoque uestem dicimus, quam uulgus uocat* Robe de Palais, *quæ hoc à domestica aut cubicularia differt* (Robe de chambre) *quòd magis sit insignis.*

Basilicam *pro ueste regia,* ἀπὸ τῆς βασιλείας *dixisse*

uidetur Plautus *in* Epid. Vn manteau royal.

Segmentata uestis, hoc est gemmata, quòd segmentis ac margaritis & gemmis ornata esset. Segmenta enim gemmas uocat Iuuenalis, *Segmenta & longos habitus. Idem etiam segmentatas cunas uocat, hoc est, gemmis decoras:* Et *segmentatis dormisset paruula cunis.* Hoc *est, cunis segmentatum uestimentum superimpositum habentibus.*

Serica uestis, siue serica, absolutè, à Martiale *dicta* Robe de soye, *quæ & medica olim dicta fuit, ut inquit* Pollux *lib.* 1. *de bello* Persico, *à* Seribus *populis, apud quos uermiculus σὴρ appellatus, serico nomen dedit.* Tacitus *in secundo,* Siricam *pro* Serica *scriptum reliquit.* Falluntur *autem maximè qui* Sericum *putant esse, quam uulgò setam uocamus, quámque conficiunt isti uermiculi, qui passim in* Italia & Gallia *lanificij causa nutriuntur: sunt enim bombyces, nō autem seres.*

Holo*serica uestis, tota ex serico, qua primus* Romanorum *usus est* Antonius Heliogabalus, ex Lampridio, *cuius immensum fuisse pretium coniicitur ex* Flauio Vopisco.

Sub*sericæ uestis substamē tātùm ex serico est: cuiusmodi fortasse uidetur id quod uocamus* Satin de bruges.

Bombycina *uestis, uel bombycina, absolutè,* Plinius *ad luxum fœminarum fuisse ait.* Martial. Fœmineū *lucet sic per bombycina corpus: crispā telā uulgus uocat.* A *bombycibus uermiculis dicta, quorum filo tela delicatissima contexitur.* Hos *autem fusissimè describere uidetur* Plinius. *Quare mea quidem sententia, maximè falluntur ij qui* Bōbycinium *barbarè pro diploide*

uel thorace effinxerunt, cùm nulla eius dictionis ratio adferri possit, nisi quis dicat bombace (Vulgus cottonē uocat) diploidē hibernū muniri solereq. Cæterū Bombycinā uestē Propertius à Co insula Coā uestem appellat.

Byssina uestis, ex lino delicatissimo & subtilissimo cōposita, quod byssus appellabatur, adferebatúrque Romam ex Achaia ad mulierū delicias: cuius stipulā quaternis denariis uenisse author est Plinius lib. 19. cap. 1. Thylesius Byssinā uestem, ut aurū, fulgere ait: erátque ornatus diuitum. quod uel ex Euangelij loco certum esse potest, in quo diuitis parabola tractatur.

Vestis undulata, De camelot, quòd eius cōtextus undarū fluctus imitetur. Plin. lib. 8. cap. 28, Vndulata uestis primò laudatissima fuit, inde Soriculata defluxit.

Hodie ueste serica heteromalla utimur, quam uillosam & uillutam uulgò dicimus, Robe de velours. Quemadmodum & lanea heteromalla, quam trippā, ni fallor, appellamus, Trippe de velours.

Neque uerò omnino ineptum uidebitur, quando ita communis appellatio fert, si uestem damascenam dicamus eam, quæ uarias in cōtextu figuras refert: qui mos fortassis à Damasco profectus est. Itaque ea ratione dici poterit, qua nos pruna Damascena dicimus, similia iis quæ in Damasco nasci solent.

Vestis aurea & uestis clauata, pro auro & clauis aureis contexta, dicta est à Vopisco, cùm Tacitum imperatorem ait auro clauatis uestibus interdixisse.

Attalica uestis, Brochee d'or. Plin. in undecimo, Aurum intexere in Asia inuenit Attalus rex, unde nomē Attalicis. Plin. lib. 36. cap. 15, Sed & reliquus appa-

ratus tantus Attalica ueste, tabulis pictis, cæteróque choragio fuit.

Picta ueste utebantur triumphantes & nobiliores ac regij. Iuuenalis:

Et latum pictæ uestis considerat aurum. Virgilius picturatas uocat lib. 3. AEneidos,

Fert picturatas auri subtegmine uestes. Porrò colores diuersos picturæ intexere Babylon maximè celebrauit, & nomen imposuit.

Polymita, uestis plurimis liciis intexta: quod opus primùm ab Alexandria profectum est: quemadmodũ & belluata tapetia. Plin. lib. 8.

Vestem militarem Plutarchus in Tiberio uocauit, ἐσθῆτα στρατιωτικήν.

Vestis domestica, Robe de chambre, *à Cicerone dicta, quam Veneti delimanum uocant. Quẽadmodum etiam forensem dixit 2. de finibus.*

Tenuis uestis & simplex, ac etiam densa ex eodem, Robe sangle.

Pellicea uestis, Robe fourree, *quam foderatam uulgus dicit, quæ etiam pellibus duplicata dici potest.*

Vestis uiatoria ex Budæo, quam Herodianus in quinto hodœporicam appellat. uulgo, Robe courte, robe des champs, ou a cheuaucher.

Vestis Melitensis, muliebris fuit, quæ fiebat Melitæ, quæ est insula satis lato periculosóque mari, à Sicilia disiuncta, in qua est eodem nomine oppidum, quò iste Verres, inquit Tullius, nunquam accessit: quod tamen oppidum isti in textrinam per triennium ad muliebrem uestem conficiendum fuit.

Cyclas, cycladis, Vne faye, *uestis muliebris tenuissima, explicabilis & spatiosa, quæ in modum ueli, quòd totum corpus circundaret, facta erat: à* κυκλόω, *id est circundo dicta.* Iuuenalis,

Hæ sunt quæ tenui sudant in cyclade. Propertius,

Et longa cyclade uerrit humum. Virgilius *tamen* AEneid. 2. *cycladem uidetur pro uelamine assumere, (ita enim interpretatur* Seruius*) quod* Argiuæ *mulieres deferre solebant.* Vnde ait,

Et circuntextum croceo uelamen Acantho

Ornatus Argiuæ Helenæ. *Circuntextum autem, quòd in eo arte textoria picta & circunducta apparerent acanthi, hoc est, spinæ albæ folia, cum ipsis floribus croceis & purpureis.*

Cæsitium Plautus *in* Epidico *appellare uidetur linteolum candidum, in multas partes cæsum, ac deinde subligaculis reuinctum: ut ueluti per interualla & lacinias uestis serica transpareat, cuiusmodi illud est indumētum quod* Venetæ *mulieres gestare solent, appellatúrque ab illis* Trauersa. *fortassis illud esse potest quod in usum nostrarum matronarū uenit, quod uocant* Garde robe, *nisi quòd linteum non est.*

Varia *ueste exornatus dicitur, qui uestem sæpe mutat & uariat, ne fortassis semper idem appareat.* Terentius *in* Eunucho,

Ita uisus est dudum, quia uaria ueste exornatus est.

Vestis *expansa*, Robe estendue. Plin. *lib.* 2. *cap.* 103, *In* Illyriis *supra fontem frigidū expansæ uestes accenduntur.* Ita *quoque dicere poterimus uestes soli expansas*, Estendues au soleil. *qui mos est* Italis, *ut quotan-*

nis suas uestes soli exponant & expandant, ut mundiores & elegantiores fiant.

Versicolor uestis, Robe de changeant, ou de plusieurs couleurs. *Dionysius de Saliis, &* Liuius *lib. 9. ab urbe condita.*

Discolor uestis, quæ uarios colores præ se fert, uel cuius color ueluti per radios quosdam per totam uestem diffusus est: uulgus diuisam uocat, La deuise: *qualem gestare solent urbium apparitores, principúmque famuli*, De la liuree de la ville ou du seigneur.

Vestis decolor, Robe desteinte, *quá uulgus decoloratam uocat: hoc est, cuius color effloruit & euanuit propter imbrem aut continuum attritum.*

Mutare autẽ uestem, Chãger de robe, *quod &* Cõ*mutare dixit Plautus propriè in Capt. Itaque, inquit, inter se commutant uestem & nomina.* Ils chãgent de robe & de nom. *Mutare autem uestem, Cicero sumit, quando pro alba, uel Senatoria, uel alia toga pulla uestis sumebatur & squallida, uel in funere, uel in luctu. Pro Sextio, Erat igitur in luctu Senatus, squallebat ciuitas publico consilio, mutata ueste. In eadem, Néue hunc suum dolorem mutata ueste significarẽt, siue illa uestis mutatio ad luctum ipsorũ, siue ad deprecandum ualebat. Qui Romanorũ mos fuit. mutata enim ueste rei conspiciebantur, & toga deposita sordidam uestem accipere solebãt: hoc est, uilẽ & abiectam ad luctum & deprecationem significandã. Vnde est illud dictum Ciceronis in Pisonẽ, Nec minus lætabor, cùm te semper sordidum, quàm si paulisper sordidatum uiderẽ. Itaque sordidatus dicitur, quẽ uulgò uocamus*, Mal en or-

dre. *Quinetiã sordidata mãcipia* Cicero in *Antoniana dixit*: *hoc est, impura & squallida*. Virg. de *Charonte*, *Sordidus ex humeris nodo pendebat amictus*.

Colligere autem uestem, Trousser sa robe, *dici potest*, *quemadmodum Martialis colligere togam dixit lib.* 7, *Collige Cinna togam, calceus ecce perit*. *Item & Colligere pallium*: *Plaut. in Cap. Collecto quidẽ est pallio, quidnam acturus est?* *Succingere autem* ceindre, *& cingulo collectam obstringere, ut strictius corpus ambiat, uel ut breuior ac decurtatior sit.*

Elegans uestis, Robe mignonne & bien faicte: *squallidæ & sordidæ cõtrarium. Gellius probro fuisse* M. *Catoni scribit, quòd eleganti ueste, mollibúsque tuniculis uteretur.*

Linea uestis, Vn roquet, *qualem solent Cardinales & episcopi super purpurea toga gestare: item etiã nostræ mulieres rusticanæ profestis diebus. Plin. lib.* 12. *Vnde uestes lineas faciunt. Linteã uestem Cicero uocauit actione* 7, *Alij, inquit, purpurã tyriam: thus alij atque odores, uestémque linteam.*

Laciniosa uestis, Robe plissee, *ampla, & multis laciniis, hoc est sinubus fluens: qualẽ fuisse chlamydẽ illam laciniosam orbe gyrato describit Plinius lib.* 5. *cap.* 10. *quã metatus est Dinocrates architectus*, AEgy*ptum in chlamydis effigiem reducens.*

Vestem Phrygianam dixit Fenestella, quam nos uocamus Brodee: *Itali laboratam uocãt*: *Virgilius quoque Arte laboratas uestes dixit. Plinius enim libro* 8. *refert Phryges Idæos primos, uestes acu facere inuenisse: unde Phrygiones appellati*, Brodeurs.

Vestem autē conchyliatam uocare uidetur Plinius, conchyliorū succo infectam, & ueluti muricæ tinctam, lib. 9. cap 39, In conchyliata ueste cætera eadē sine buccino, prætérque ius temperaturæ.

Theristrū, Robe d'esté, uestimētum æstiuū appellare possumus, ἀπὸ τοῦ θερίζειν, quod æstiuare significat.

Chimastrū, Robe d'hyuer, uestimentum hybernum, ἀπὸ τοῦ χειμάζειν, quod est, hyemare.

Synthesis accipi uidetur interdum pro tota ueste in uestiario composita, uulgus uocat Vne garde robbe. Iureconsul. in lege Titia. §. Semproniæ. Quæro an ex uniuersa ueste, id est, ex synthesi, tunicas singulas & palliola, Sempronia eligere possit.

Est & synthesis, totum illud indumentum quod quis honoris interdum gratia, interdum etiam ostentationis alternis diebus, uel etiam bis eodem die mutare solet: quemadmodum facere uidentur ex nostris aulicis nonnulli, quos hodie holosericatos, cras purpuratos, mane pullatos, uespere albicantes uidebis. Martial. 2. in Næuolum,

Sic micat innumeris arcula synthesibus.

Scutulatum præterea textum arte fieri deprehendi potest: cuiusmodi ferè est, qualis cernitur in aranearum telis. Est autem scutula à scuti forma dicta. Vide Plinium libro 11. cap. 23. Nobis autem si diuinare liceat, quam emplastrationem Plinius libro 17. scribit, fieri adempta scutula, eam dicemus quæ uulgò dicitur, Enter en escusson. Vestem quoque scutulatā, si quidem ad uulgus nostrū referamus, appellabimus, Vne robe contrepoinctee en escusson. Nūc pauca quæ-

dam de uestium speciebus secundum corporis partes: ac prius de uestium ornamentis est dicendum.

Vestium atque adeò corporis totius ornamenta.

VAria fuit apud ueteres ornandi corporis ratio, quemadmodum nostra quoque tempestate uidemus. Aliis enim ornamentis utuntur reges, aliis uulgus ipsum, aliis item matronæ, aliis qui sacris operam nauant. Itaque partem eorum suo ordine recensere optimum uidetur.

Atque, ut à capite incipiamus, Corona, insigne regum fuit ornamentum. Virgilius,
Et duplicem gemmis auróque coronam. Hoc est, quæ duplex erat, uel duplicata gemmis & auro: nēpe quæ tantum haberet auri & gemmarum, quantum in duabus coronis fuisset satis. Quod autem regum fuerit, id ostendere uidetur 8. AEneidos,
Ipse oratores ad me, regníque coronam
Cum sceptro mittit. Vide MITRA.

Coronam quoque pro galea, quēadmodum στέφανον Homerus, sumpsit idem author in 5,
Omnibus in morem tonsa coma, pressa corona.
Nisi galeas coronatas habuerint antiqui, ut interpretatur Seruius.

Corona etiam frondium & florum dabatur iis qui uicerant in bello aut palæstra: aliis quidem querna, aliis uiminea, aliis hederacea: eas Græci στεφάνους appellant, & uictores στεφανίτας, quorum (ut inquit Pol-

lux in 3.) præmia in corona & frondibus erant. Cic. 6. *in* Verr. *Vnxisse unguentis, complesse coronis & floribus.* Dicebatur etiam ab antiquis Græcis στροφίον, ἀπὸ τοῦ στροφεῖν, *hoc est, conuoluere & uertere, quòd capiti circumponeretur.*

Corona florea, Vn chapeau de fleurs. *Plau. in* Aul. *Nunc thusculum emi, & hasce coronas floreas.*
Corolla, Vn chapelet de fleurs, *pro eodem.* Propert. Me *iuuat extremis positum languere corollis.*

Sceptrum, Vn sceptre, *à* Græco τὸ σκῆπτρον. *quo aureo reges utebantur, ac manu gestabant.* Homerus, χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ. *Fuit autem primùm* Iouis *insigne, deinde uerò aliorum regum. Eo enim pacem & fœdus significare dicuntur, ut apertè docet* Virgilius AEneidos *duodecimo.*

Lituus, baculus incuruus, quo sedẽtes augures, auibus templa designabãt. Cic. 1. *de diuinat.* Quid *lituus iste uester, quod clarissimum est insigne auguratus?*

Pedum, Vne houlette, *Baculus incuruus pastorũ.* Virg. *At tu sume pedum.* Per *trãslationem autem accipimus pro eo ornamento quod nostri episcopi gestare solent: quando etiam se pastores appellari uolũt, ut sunt re uera. uulgus crossam uocat.*

Apex laniger, ornamentum pileorum, quos flamines inter sacrificandum in lucis ac syluis gestare solebãt: super quibus erat breuis uirga, desuper habens lanæ aliquid ad deterrendas aues à sacrificio. Virgilius,
-nudósque Lupercos,
Lanigerósque *apices.* Eum *autem pileũ cùm per æstus ferre non possent, filo tantùm capita religare cœperunt:*

unde flamines dicti, quasi filamines.

Monile, Vn carcant, ou vn collier, *Ornamentum gutturis uel colli, quale gestare solent nobiles matronæ & equites quos uocamus ordinis: quod quia gēmis & margaritis ornari & insigniri solebat, ideo baccatum à Virgilio dictum est, -colloque monile Baccatum.* Iuuenalis *segmentum appellare uidetur Segmenta & longos habitus.*

Inaures, Des templettes. *Iis uti etiam nunc matronæ* Italæ & Hispanæ *solent ad auriū ornatum.* Plautus *in* Epidico,

Non meministi me inaurem ad te afferre natali die?

Bulla, Vne bague, *Insigne prætextatorum puerorum, præsertim si aurea erat: libertinis enim scortea bulla de collo depēdebat, quasi cōmuniens pectus puerile.* Cic. *in* Verrem, *Neque te tam commouebat, quòd ille cum toga prætexta, quàm quòd sine bulla uenerat. Huiusmodi ferè ornamenta pueri uulgò nunc deferre solent.* Dicta *autem bulla à similitudine bullæ, quæ in aqua fieri solet, ad fragilitatem uitæ designandam. Quod autem nonnulli putant* ἀπὸ τῆς βουλῆς *deduci, ineptum est planè: nam neque consilium in pectore est, sed in cerebro, ubi & ratiocinatio: præterea unico l scribitur.* Inde *hæredē bullatum dixit* Iuuenalis, *quem uulgò uocamus* Ioli, bragart. *Quasi uerò dicamus, bellulum & ornatulum.*

Supparus *siue supparum, inquit* Festus, *uestimentum lineum quo puellæ præcingebantur.* Lucanus, *Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.* Plautus, *Si tu de illarum cœnaturis supparis.*

Castula, aliud palliolum quo puellæ pudoris gratia præcingebantur. Varro, Castulam mulier sumpserat pro socculo. Hæc & perizonium & præcinctorium dicitur.

Instita, siue limbus, Vn gect, *fasciola quæ ambibat stolam muliebrem. Ouidius,*

Quæque tegit medios instita longa pedes.

Fimbria, Vne frange. *Fimbriis utebãtur in uestiũ & tunicarum extremitatibus. Tranquillus in Cæsare Dictat. Vsum enim lato clauo ad manus fimbriato.* Frangé par les mãches. *Deinde subiũgit, Nec ut unquam aliter super eum cingeretur & fluxiore cinctura. Quo loco animaduertendum fluxiorem cincturã ab eo appellari, quæ alioqui laxa diceretur, quemadmodum & fluxam tunicam dixit laxam.*

Cinctura autem à cingendo dicta: unde & uulgare nomen prodiit, Vne ceincture.

Cinctus item uirorum fuit. Virg. 7. AEneid.
Ipse Quirinali trabea, cinctúque Gabino
Insignis. Quo loco uideto Seruium. Vnde Cincticulus, Vne ceincturette. *Plaut. in Bacchid. Cincticulo præcinctus in sella apud magistrum insideres.*

Cingulum uerò mulierum erat, inquit Varro, Vne troussoire. *Virgil. de Penthesilea, Aurea subnectens exertæ cingula mammæ.*

Cingulum, Vn collier de leurier. *Varro lib. 2 de re rust. cap. 9, Cingulum circum collum ex corio firmo cum clauiculis capitatis.*

Clauus, Vn bouton, *qui si latus esset, insigne erat principum atque imperatorum: unde lati claui tunica dicebatur.*

Baltheus, siue Baltheũ, Vne ceincture a espee. *Varro baltheum inter arma adscripsit, dictum quasi bullatum cingulum.* Græci ζωστῆρα *appellant.*

Zona, cingulum in quo argentum & nummos recondebant. Hinc prouerbium, *Zonam amisit, de paupere & inope dicimus.* Porrò *autem latis zonis utuntur mulieres apud* Illyrios, *quibus præcingunt uentrẽ, dum bibũt, & primùm quidem mediocriter præstringunt: cum uerò acrius bibunt, magis semper cogunt, cõprimúntque.* Vnde Martialis,

Longa satis nunc sum: dulci sed pondere uenter
Si tumeat, fiam tunc tibi zona breuis.

Fibula, Vne boucle, *ornamentum ad uestem subleuandam.* Virgilius,

Aurea purpuream subnectit fibula uestem. Et *consertam fibula tunicam dixit* Plinius *satis propriè.* Itali, *uocabuli usum adhuc retinentes, uocant* Vna fibbia.

Armillæ, armillarum, Brasselets, *mulierum ornamenta quæ brachiis circunligabant.* Vtebantur & Persæ *quoque &* Sabini *armillis.* Hinc Tarpeiam *aiunt armillarum desiderio, quas* Sabini *gestabant,* Capitolium *illis prodidisse.* Hinc *armillatus.* Budæus, *Nostrates, inquit, caduceatores spintere hodie utuntur, quæ armilla etiam dici potest, blasonum lingua uernacula uocant.*

Brachialia, Des mancherons, *ornamenta brachiorum, quibus mulieres uti solent.* Plin. lib. 28. cap. 7.

Cestus, Vn tissu, *Veneris cingulum efficax ad illectamenta gratiarum & amorum.* Martialis,

Colo necte puer meros amores,
Cestum de Veneris sinu calentem.

Ventrale, Vn tablier. *Vnde uilloſa uentralia dixit Plinius lib.8.*

Strophium, Vn gorgias, *faſcia pectoralis, quæ uirginalem papillarum tumorem opperit.* Ex Turpilio. *Hinc* Strophiarius, *apud* Plautum : & Strophiolum, *quod* Italicæ *mulieres uocant faſcioletum.*

Faſciam autem uulgus uocat, Vne bende, *Latum aliquod uinculũ, ſeu laneum, ſeu lineum fuerit, quo partes aliquæ corporis reuinciebantur : unde cretatas faſcias* Epicratis *uocat* Cicero *ad* Atticum, *hoc eſt, picta quædam uelamina, quibus caligarum uice utebatur* Epicrates. *Quinetiã faſciis inunctis partem aliquam corporis malè affectam obuinciebant antiqui.* Cic. *de claris orat. Qui deuinctus erat faſciis, & multis medicamentis propter dolorem artuũ delibutus. Faſciam præterea lecti cubicularis idem* Cicero *poſuiſſe uidetur, pro eo quod uulgus uocat* Des courtines. *Deferũt, inquit, ad coniectorẽ quidam, ſomniaſſe ſe ouum pendere ex faſcia lecti cubicularis.*

Epomis, *epomidis,* Chaperõ de regent, ou d'aduocat, *operimentum humerorum, nulli uſui futurũ, præterquam ut dignitatem quãdam & magiſtratum exprimat. Tale quiddam doctores* Theologi, *& qui in* Senatu *magiſtratum gerũt, hodie deferre ſolent. Quod autem ſuperhumerale uertit* Hieronymus, *id quidem de ornamento ſacerdotali intelligendum eſt, quod ſtolam appellamus,* Vne eſtole.

Sudarium *poſuiſſe uidetur* Liuius *pro eo linteolo quo ſudorem abſtergimus à fronte, quo eodem etiam ad expurgandas nares utimur,* Vn mouchoir. *Ait autem libro 9. de* Marci Catonis *morte, Qui audiens* C.

Licinij dictum, se non damnatum, sed reum periisse, Protinus, inquit, sudario quod fortè manu tenebat, ore & faucibus suis coarctatis, incluso spiritu, morte pœnam præcurrit.

Sed nunc tandem est de uestimentis particulariter differendum, atque à capite ad pedes descendendum, ut inde ab interioribus ad exteriora deueniamus, priusquam de coloribus uestium pertractemus.

Tegumenta capitis.

P*ileus, siue pileum,* Vn bonnet, *à Græcis τὸ πίλιον, & τὸ πιλίδιον dicitur. Caue autem ne pro pilidio, dicas philidion. Nam τὸ φιλίδιον καὶ φενάκη apud Græcos galericulum significant, quem nos falsam perrucam dicimus. Tranquillus in Caligula, capillamentum appellat. Pileus autem, seruorum fuit insigne, cùm raso capite libertate donabantur. Vnde pileati serui à Gellio dicti qui manumittebantur: atque hinc etiam prouerbium, Vocare ad pileum, pro, Donare libertate, dictum est à Suetonio.*

Pileus clauatus, ex Nonio, Vn bonnet a fers, ou a boutons d'or. *quòd clauis aureis intextus sit, cuiusmodi nunc gestare solent nostri aulici. Claui autem aurei in pileis, uestimentis, aut etiam calceis, sunt qui uulgò dicuntur,* Fers d'or.

Hinc clauulus diminutiuum, qui cingulis canũ infigebatur, hoc est collaribus, quæ uulgò uocant. Varro, Cingulum circum collum ex corio firmo, cum clauulis capitatis. Des clous a teste.

Galerus, Vn bonnet rond, *rotundũ ait esse pileo-*

lum Hieronymus *ad* Fabiolam, *quasi media sphæra.* Nonnullis *autem est quam tiaram* Græci, *atque adeò nostri appellant.*

Fortasse Galerus *non erat absimilis pileolo, quem hodie* Græci, *quos* Albanos *uulgò uocamus, sub oblonga cyrbasia gestare solent: cuiusmodi etiam nunc* Senatores Veneti *utuntur, & in* Academia Parrhisina *scholastici: sed iis nunc usus aliam formam dedit.*

Tiara, *erat capitis tegmen regum* Oriētis. Ouidius *in undecimo de* Mida *rege,*

Tempora purpureis tentat uelare tiaris.

Plutarchus *inter medicā stolam annumerat in* Antonio, *& in* Artaxerxe *pro galea sumpsisse uidetur.* Hieronymus *idem esse ait cum galero.*

Gemmatam tiaram dixit Virgilius, *&* Iuuenalis *Phrygiam, quòd ea primùm* Phryges *usi sint.* Sidonius *item tiaratos reges dixit, caput tiara uelatos, quos* Græci *tiaropheros uocāt.* Budæus *tiarā summi pōtificis appellat, quā triplicem coronā uocare solemus.* Le regne.

Petasius, *pileus* Arcadicus Hesychio. Inde Petasatus, *petaso indutus, apud* Trāquillū *in* Augusto, & M. Tulliū *in epist. ad* Cassiū. Petasum *fortassis non ineptū fuerit appellare leuem pileum, sed amplum satis, quo uiatores, tabellarij, atque adeò caduceatores uti solent ad arcendos imbres & solem.* Vnde *petasatum* Mercurium *finxerunt poetæ.*

Cucullio, *onis, inquit* Iul. Capitolinus, *genus est pilei uiatorum, quo capite obtecto uagari nocte solent.*

Cyna, *pileus erat* Lacedæmoniorum, *ex* Strabone. *quanquam* Ephorus *ex eodem pileum* Laconicum *appellet.*

Cyrbasia, chapeau d'Albanois, *pileus altus in speciē coni eductus*. Cuiusmodi nunc solent quidam ex Græcis gestare.

Cidaris, *siue citaris, ornamentum capitis regum Armeniæ, quod pro diademate confundit* Plutarchus *in* Pompeio *&* in Lucullo. *Erat etiā insigne regum* Persarū, *ut idem* Plutarchus *ait in* Artaxerxe. Q. Curtius *primo gestorum regum* Armeniæ, *scribit* Cidarim *cærulea fascia albo circundata circuiri solere apud* Persas.

Diadema, Vn diademe, *ornamentum capitis regū insigne. hinc* Ponere diadema, *&* capere diadema *dixit* Trāquillus. *unde etiam* Metellus *diadematus dictus est*. *Reginarum quoque fuit, ut ait* Plutarchus *in* Lucullo, *de* Monima *Milesia altera* Mithridatis *uxore*. *Fasciam quandam aut amiculum opinor fuisse, quo regis caput, atque adeò pileus ornabatur*: περὶ τὸ διαδεῖσθαι, *hoc est obuincire*. *Quod insigne regum inuenisse primùm liberū patrem author est* Plinius. *Erat autem candidum uinculum, cuiusmodi hodie nostri præsides* Parrhisini, *præterea etiam* Venetiarum *duces suis tiaris obuincire solent*.

Causia, *pileus erat regum* Macedoniæ. Budæus *eleganter sumpsit pro galero coccino cardinalium, quem nonnulli capellum rubrum appellant*. *Quinetiā idem author est, causiam posse sumi pro eo pileo, qui à solis ardore nos defendit*, Vn chapeau. Plautus *pro naucleri pileo sumere uidetur in* Milite, *Facito ut uenias huc ornatu nauclerico, causiam habeas ferrugineam*.

Mitra, Vn chapeau de fleurs, *matronarū orna-*

mentum Varroni. Ea primùm usas opinor uirgines Lydias, deinde uerò Mæonias. Virgilius 4. AEneid. de Paride,

Et nunc(inquit)ille Paris, cum fœmineo comitatu
Mæonia mentum mitra, crinémque madentem
Subnixus, rapto potitur. Postea auté ad AEgyptias, Phrygias, Syrias peruenit. Ea autem uidetur fuisse corona floribus, uel quopiam alio ornamento, ut fasciis, horariísque contexta, ac filo circumligata, ut sub mento astringeretur: unde nomen quidam accepisse putant, nempe ἀπὸ τοῦ μίτου, hoc est, à filo. Quod filũ Virgilius redimiculum mitræ appellat,

Et tunicæ manicas, & habẽt redimicula mitræ. Quidam phyliras uocant. Plin. lib. 16, Tenuissimum corium phyliræ, coronarum lemniscis celebres, antiquorúmque honore. Nonnullæ mulieres eas nunc adhuc uocant, Des phulettes.

Non omittendum hoc loco uidetur, quando de mitra sermo est, Plutarchum in Numa, ubi de Saliis loquitur, mitram sumpsisse pro æneo pectoris tegumento. Ita enim inquit, μίτραις δὲ χαλκαῖς ἐπεζωσμένοι πλατείαις, καὶ κράνη χαλκᾶ φοροῦντες. Quod ita retulit Liuius Dec. decima, Salios item duodecim Marti gradiuo legit, tunicæque pictæ insigne dedit, & super tunicam, æneũ pectori tegumen. Homerus quoque mitram appellauit Iliad. δ.

Μίτρης θ' ἣν ἐφόρει ἔρυμα χροὸς, ἕρκος ἀκόντων.

Mitellam pro Corolla dixit Virgilius in Copa, Copa Syrisca caput Graia redimita mitella. Cic. pro Rab. Sed Neapoli in celeberrimo oppido sæpe uidemus cum

mitella chlamydatum L. Syllam *imperatorem.*

Vitta, *Tegumen capitis matronarum, quo capillos coercebant, & constringebant ac colligabant.* Tibullus,
-quamuis non uitta ligatos
Impediat crines. Ouid. 1. Metamorph.
Vitta coercebat positos sine lege capillos.

Erat quoque Vestalium, qua cum plaga utuntur eæ, quæ perpetuã uirginitatem Deo *uouerunt.* Vittas *gerebant, quæ pudicæ erant matronæ: neque enim meretriculis licebat uittis uti.* Ouid. *Este procul uittæ tenues, insigne pudoris.* Virg. *Solutæ crinales uittas, capite* Orgia *mecum.*

Reticulũ, Une coeffe, *tam uirorum, quàm mulierũ fuit, quòd capillũ contineret. Ita dictum fortassis à forma retis, uel piscatorij, uel uenatorij.* Iuuenalis, *Reticulúmque comis aratum ingentibus implet.*

Restis, Un ruben, *Fasciola, qua mulieres capillos inuoluebant.* Retiolum Seruius *appellare uidetur, super illud* Virgilij 4. AEneid. *Crines nodantur in aurum. Erat enim retiolum, instrumentum siue fascia quædam qua comas colligebant matronæ.* Italicæ *uirgines cordellam uocant.* Cicero *redimiculum appellare uidetur act. 5 in* Verrem, *Hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines.*

Rica *à* Romano *ritu, quòd, ut inquit* Varro, Romano *ritu sacrificium fœminæ quum faciunt, capita uelant.* Plaut *in* Epid. *Aut crocotulam, supparum, aut subminiam ricam, basilicam.* Subminiam *ricam pro ostrina dixisse uidetur quasi subrubram.* Hinc *ricula diminutiuum.* Turpilius, *Interea aspexit uirginem uectari in capite riculam indutam ostrinam.*

Capital, Vn camail, *sacerdotale erat, inquit* Varro, *quod etiam nunc nostri sacerdotes deferre solent.*

Capitium, capitij, Vne cappe a femme, *capitis tegmen, à quo etiam appellatum est. Quod si uerum est, in mulieribus id capitium dicemus, quod in matronis cappam appellamus, quo undatim crispo utuntur* Parrhisinæ. Vne cappe de camelot.

Flameum, siue flameolum, ueli genus, quo nouæ nuptæ capita amiciebantur. Qui mos adhuc hodie in Hispania *obseruari solet, ut primo nuptiarũ die uirgines flameolo pellucenti faciem obtegant, eúmque per totum diem gerant, ceu intactæ & puræ uirginitatis signum.* Dictum *flameum, quòd à* Flaminica, *hoc est, flaminis uxore primùm deferri solitum sit: erátque coloris lutei, cuiusmodi* Ferrariẽses *ac* Mantuanæ *uirgines deferre solent.* Lucanus *de* Martia *iterum nubente* Catoni, *Lutea demissos uelarũt flamea uultus.* Plin. *Lutei uideo honorem antiquissimum in nuptialibus flameis totum fœminis concessum.* Iuuenalis,

-sedet illa parato
Flameolo. Italicæ *matronæ fasciolum appellant.*

Carbasus, aliud uelum ex delicatissima tela compositum. Valer. Max. *lib* 1, *Cùm carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subitò ignis emicuit.* Virg. 8. AEneid. *-eum tenuis* Glauco *uelabat amictu* Carbasus. Hinc *uela nauium, per translationẽ carbasea & carbasa dicta sunt.*

Plaga, Vn voile, *grande tegmen lineum, quo hodie mulieres* Romanæ *utuntur: & quemadmodum plagis olim* Vestales *uirgines operiebantur, ita nunc quoque nostrarum monialiũ uelamentum, plagæ nomen acci-*

pere poteſt. Cuius diminutiuum plagula.

Calantica, Vn cueurechef, tegmen capitis muliebre. Cic. in Clodiũ, Tùne, cum uincirentur pedes faſciis, cũ calanticã capiti accommodares, &c. Trecanarũ matronarum uulgus n in u conuertit, & calautas uocat.

Veſtimenta thoracis ac crurum.

CAmiſiam, quam uulgus appellat Chemiſe, nos rectè & Latinè imam ſiue intimam tunicam dicere poſſumus. Quidam interulam uocant. Eſt quando tunica abſolutè idem ſignificet, ut apud Ouidium multis in locis, & Ciceronem act. 7. in Verrem. Vnde Tunicatus à Martiale, pro eo qui barbarè dicitur In camiſia. Et Tunicata quies ab eodem dicta, hoc eſt, libera ad opera togata. Athenæus χιτώνιον ἐγχέιρικον appellat tuniculam carni proximam.

Et quia nonnulli ex ueteribus (ut nunc quoque à nobilibus & ditioribus quibuſdam aulicis fieri ſolet) non eadem interula utebantur noctu qua interdiu: itaque factum eſt, ut ab antiquis comicis χιτὼν εὐνητὴρ diceretur, quam nos uerbum è uerbo, ſi uolumus, tunicam dormitoriam dicemus: uulgus camiſiam nocturnam appellat, Chemiſe de nuict. Tales fortaſſe ſunt quæ goſſapinæ uel laneæ ab Italis excogitatæ ſunt, camiſiolas appellant camiſelle.

Poſt tunicam induebatur ſubucula, Vne chemiſe de drap, quã quidã ſubtunicale uocãt: Græci ὑποδύτην, quòd ſubter induatur. Suet. in Auguſt. Hyeme quaternis cum pingui toga tunicis, & ſubucula, & thorace laneo, & femoralibus, & tibialibus muniebatur. Ho-

ratius, *-rides si fortè subucula pexæ*
Trita subest tunicæ. *Vtebantur & tunica, quæ media dici potest, cuiusmodi ferè est tunica rubra, qua brumali tempore utimur.* *Thoracem appellarunt ueteres,* Vne piece qui couure l'estomach, *à denominatione pectoris, quòd pectus & thoracē tegat, unde thoracib⁹ lineis antiquos pugnasse testis est* Homerus.

Thorax *ferreus uel ahenus,* Vne escreuisse, *Arma quibus communitur pectus.* Plutarchus *in* Lucullo, Thoracem *ferreum habens squammosum & splendidum, ac fimbriatum paludamentum.* Virg. 8. AEneid.
-alij thoracas ahenos,
Aut leues ocreas lento ducunt argento. Vbi Seruius, *Quia, inquit, apud maiores, thoraces tantùm pectora tegebant.* Vnde Statius,
-triplici seruantur pectora ferro,
Pectora, nam tergo nullus metus.

Thorax *laneus,* Vne piece de drap. Suetonius *in* August. *Hyeme quaternis cum pingui toga, tunicis, & subucula, & thorace laneo, & femoralibus, & tibialidus muniebatur.*

Thorax *plumbeus.* Plin. lib. 7. cap. 20, Nos *quoque uidimus* Athanatum *nomine, prodigiosæ ostentationis, quinquagenario thorace plumbeo indutum, cothurnisque ducentorum pōdo calciatum per scenam ingredi.*

Neque *uerò fortassis omnino ineptū fuerit, si quemadmodum* Iureconsulti *stragula bubalina dicunt: ita quoque nos thoracem bubalinum appellemus eum, qui uulgò à militib⁹ gestari solet.* Vn collet de cuir de buffle. Bubalum *enim uocabāt antiqui bouem sylvestrē, quem hodie adhuc* Itali *bufalum,* Vn buffle. Vide libel-

lum de Vasculis.

Thoracem absolutè pro armis pectoris ponit Virgilius statim in initio undecimi Æneidos,

Teláque trunca uiri, & bissex thoraca petitum,
Perfossúmque locis.

Diploidem pro eo quod uulgus uocat Pourpoint, ueteres non usurpasse uideo, neque etiam eo genere uocabuli usos unquam fuisse. Dici autem debet ἀπὸ τοῦ διπλόος καὶ διπλοῦς, quod pro duplicato thorace sumi uideretur. Itaque fictum & nouum esse puto uocabulum, atque omnino alienum à communi usu dicendi: nisi pro thorace laneo accipiamus, quod absurdum adhuc uideretur.

Tibiarum ac femorum vestiméta.

AEQuum est nunc ut de femorum ac tibiarum uestimentis suo ordine disseramus. Post hæc autem ad calciamenta, uestes medias & externas deueniemus. Postremò uerò ad ornamenta & colores digrediemur.

Feminalia & Brachæ, Hault de chausses. Vnde Gallia brachata, & brachati Galli dicti, quòd feminalibus uterentur. Quæ femoralia appellare uidetur Tranquillus in Augusto, uulgus Italorum coxalia hodie uocat. Suidas, Hesychius & Eustathius in Homerum, uocant ἀναξυρίδας, quas nos brachas dicimus, quod facilè cóiicitur ex loco Diodori in quinto, καὶ ἀναξυρίδας, inquit, ἃς ἐκεῖνοι βράκας προσαγορεύουσι. Hoc est, & anaxyrides, quas illi brachas appellant.

Subligaculum, Vn brayer, quo utebantur ueteres

ad tegenda obscœna, si quando in scena prodibant, ne fortassis per incompositos gestus, aut alia quauis ratione detegerentur. Cic.1. *Offic. Scenicorum quidem mos tantam habuit à uetere disciplina uerecundiam, ut in scena sine subligaculo prodeat nemo.*

Genualia, Iartieres, *apud Ouidium in libris Metamorphoseon. Columella lib.7, Rectè, inquit, genibus applicantur, ac genibus circundantur.* De *genualibus intelligit.*

Tibialia, Bas de chausses. *Paulus iureconf. Si tibiale uel humerale miles alienarit, castigari uerberibus debet.* Suet. *Femoralibus & tibialibus muniebatur. hoc est, femora & tibias muniebat contra frigus.*

Caligæ, caligarum, Des chausses, *tegumẽtum tibiarum militare.* Cic. *Attico,* Et *Epicratem suspicor, ut scribis, lasciuum fuisse: etenim mihi eius caligæ & fasciæ cretatæ non placebant. Fascias autem cretatas uocat, ut obiter dicam, pictas & colore aliquo delinitas. Quinetiam militaris caligæ forma ex antiquis marmoribus deprehẽditur (tãtum enim attingebat mediam tibiam) atque in extrema parte superiori, cuiusdam animalis seu leonis caput præ se ferebat. Cæterum à latere ipsius tibiæ fasciola quadam reuinciebatur ac claudebatur, quam uulgus lassetum appellat: nos etiam corrigiam appellare possumus: nisi mauis dicere clauis potius à dextra parte suffigi solere, qui interdum aurei erant, unde claui caligares dicti. Plin. lib.9. cap.18, ubi de piscibus, Squamis, inquit, conspicui crebris atque præacutis, clauorum caligarum effigie. Hinc caligatus, caliga indutus.* Iuuenalis, *Veniam caligatus in agros.* Et *Caligulam primùm dictum fuisse, quòd caliga ute-*

retur, refert Ausonius hoc uersu,

Caius cognomen caligæ cui castra dedere.

Caliga spiculatoria, qua milites spiculatorij utebantur. Erat autem colore quodam uel forma à militari diuersa. Suet. in Caligula, Modò in spiculatoria caliga, nonnũquam socco muliebri. Quo loco corruptè quidam legunt speculatoria.

Sculponeæ, sculponearum, Des guestres. *Ita enim usurpasse uidetur Cato de re rustica, nempe pro tibialibus rusticorum: Sculponeas, inquit, bonas alternis annis dare oportet familiæ rusticanæ: ad quod uocabulum accedere uidetur uox Italica,* discusoni. *Næuius, Sculponeis batuenda sunt latera. Varro, Aspicio sculponeatã bigas sequi cornutas.* Guestree. *Vtrum autẽ sculponeæ laneæ fuerint, an ex tela confectæ, iudicet qui uolet: ego uerò de hoc statuere nihil possum.*

Ocrea, ocreæ, Houseau. *Apuleius, Ille crura ocreis inuoluit. Virg. 8. AEneid. -alij thoracas ahenos, Aut leues ocreas lento ducunt argento. Idem eodem libro, Tum leues ocreas electro auróque recocto. Vbi Seruius, Leues ocreas, id est, nitida tibialia. Vnde Ocreatus,* Qui est housé.

Calciamenta.

VEniamus nunc ad calciamentorum genera: deinde uerò ad medias atque externas uestes ascendemus.

Calceus, Vn soulier, *quod idem calciamentum significare uidetur. Fiebant autem antiquitus calciamẽta ex hœdorum pellibus: quod tum ex uetustissimus mar*

moribus, quæ hodie adhuc sunt Romæ, *coniicitur: tum* ex Martialis *testimonio lib.12.Epigram. ad* Phœbum. Videto *libellum de* Vasculis.

Excalciare pedes, Deschausser les pieds. *Suet. in* Vitello, Pro *maximo munere à* Messalina *petiit, ut sibi pedes præberet excalciãdos.* Hinc *Calceolarius à* Plauto *dictus*, Vn cordouãnier: *quod nomẽ uulgus* Italorũ *adhuc integrum retinet.*

Calceolus, Vn escarpin, *leuis erat calceus, & simplicem tantùm soleam habens, qualem solent pedites ac milites leuis armaturæ gestare.* Cic. *primo de nat. deorum*, Cum *pelle caprina, cum hasta, cum calceolis repandis.*

Soccus, *Græcorum erat calciamentum, quẽadmodum calceus* Romanorum. *Eo tamen etiam utebantur* Romanæ *mulieres: quapropter muliebris à* Tranquillo *dictus est in* Caligula.

Socculus, idem cum socco, etsi diminutionem significare uideatur. Suetonius *in* Vitello, Detractũmque *socculum inter togam & tunicas gestauit.* Itaque *detrahere socculum propriè dictum, pro deponere & auferre socculum.* Terentius, *Assido, accurrunt serui, soccul os detrahunt. uulgus* Venetorum *nunc adhuc uocat*, Disoccoli. Des pantoufles.

Cothurnus, genus calciamenti subere quodammodo subleuati, quo utebantur Tragœdi, *ut eminentiores apparerent: & uiatores, ne tam facilè impingerẽt in lutum: item etiam uirgines, ut grandiores apparerent sub oblonga stola.* Quapropter *cothurnos ipsos de suris uincire solebant.* Virg. 1. *AEneid.*

Virginibus Tyriis *mos est gestare pharetram,*

Purpureóque altè suras uincire cothurno. Nisi fortè legendum putaueris,

Purpureásque alto suras uincire cothurno. Hinc Iuuenalis, -breuiórque uidetur

Virgine Pygmæa nullis adiuta cothurnis. Cic. 3. de finibus, Conuenit optimè ad pedē cothurnus. Hoc calciamenti genere nunc quoque uti solent nobiliores Romanæ, Florentinæ, Bononienses, ac Ferrarienses matronæ, ut multò altiores cothurnatæ quàm crepidatæ uideantur. Vnde metaphoricè cothurnatus stylus, altus & sublimus atque excellens dicitur. Martialis,

Grande cothurnati pone Maronis opus. Virgilius,

Sola Sophoclæo tua carmina digna cothurno. Hoc autem differre cothurnum à crepida quidam putant, quòd cothurnus altior sit, ac præterea utrique pedi cōueniat. Vtrunque tamen coniungit Suetonius in Caligula. Plin. lib. 7. cap. 20. refert de Athanato prodigiosæ ostentationis uiro, qui quum quinquagenarius esset, cothurnis ducentorum pondo calciatus, per scænam ingrediebatur.

Crepida à crepitādo dici uidetur, quòd eius solea breue obstragulum habens, inter incedendum subinde calcaneum feriat. Tuscum erat uel Graium calciamentum, prius quàm ad Romanos perueniret. Quo etiam nunc quoque mihi uidentur Veneti nobliores uti: appellant autem ij planulas, Gellius crepidulas uoce Græca dicere maluit. Quòd uerò crepidæ obstragula haberent, quæ uulgò coopertoria appellantur, id ostendere uidetur locus Plinij: Cùm & pedibus, inquit, margaritas, nec crepidarum tantùm obstragulis, sed totis socculis addunt. Itaque crepidatus dicitur, quem Veneti uo-

cant Impianelle. Cic. *in Pisonem*, *Inde nocte intēpesta, crepidatus, ueste seruili, nauem conscendit.*

Solea uerò, à qua uulgaris noster sermo profect⁹ est, Vn soulier, *obstragula non habebat, sed tantū quibusdam ligamentis siue ligulis, quas ansas uocabant,* Des courroyes, *superiori pedis parti obuinciebatur. Cuiusmodi sunt hæc calciamēta quæ uulgus uocat* Souliers a l'apostolique, *quòd iis calciati apostoli Domini pingi soleant. Plautus in Casina, Si hoc effexis, ego soleas tibi dabo, & annulum in digito aureum. Propertius, Prosilit in laxa nixa pedem solea. Inde Soleatus, soleis indutus.* Cic. *in* Verrem, *Stetit soleatus prætor P. R. cū pallio purpureo.* Gellius *gallicas soleas uocat. hinc solearius* Plauto, Vn cordouānier. *Dicitur & equorū & mularum solea ferrea,* Vn fer de cheual. *Catullus, Ferream ut soleam tenaci in uoragine mula. Plin. lib. 33. cap. 11, Nostra, inquit, ætate Poppea coniux* Neronis *principis, delicatioribus iumētis suis soleas ex auro induere solebat.* Hoc *est, soleis aureis pedes munire.*

Calceus lunatus, insigne nobilium Romanorum, *ut uoluit Plutarchus, addita lunula circa talum. Iuuenalis de Quintiliano,*

Appositam nigræ lunam subtexit alutæ. Erat etiam Senatoribus proprius. Cic. *Philip. 13, Mutauit calceos, Pater* Conscriptus *repēte factus est.* Id *est,* Lunatos *calceos sumpsit.* Budæus *in Pand.*

Non ineptum fortassis fuerit dicere fibula consertum calceum, Vn soulier a blouquettes, *ea ratione qua Tacitus de moribus Germanorum fibula cōsertum sagum dixit.*

Corrigia autem calciamenti, ea est qua calceus fi-

bula conseritur. Cic. 2. *de diuin. Quæ si suscipiamus, pedis offensio nobis & abruptio corrigiæ, & sternutamēta erunt obseruanda.* Vne courroye.

Fenestratum calceum quidam appellant, quem nostri uulgò scoletatum dicunt: nempe dimidiatū obstragulum habentem. Vn soulier escoleté.

Perones, Des bottes, des hourdes, *genus rustici calciamēti ex corio crudo, aut pellibus cōpositum, ut uult Seruius. hinc Virgil. Crudus tegit altera pero. Altus autem erat ad mediam tibiam, quo minus limo aut luto aratorum pedes inficerentur. Iuuenalis,*

Nil uetitum fecisse uolet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi. *Vnde etiam arator peronatus à Persio dictus est.* Botté & hourdé.

Sandalium, Græci calciamenti genus, quo mulieres potissimum utebantur. quod etiam Momus dicitur in Venere reprehendisse. Terent. Vtinam tibi commitigari uideam sandalio caput. Hinc Sādaligerulus, nomen à Plauto effictum in Trinum. & Sandalariū Apollinem uocauit Gellius lib. 17, cuius ædes in sandalario esset: nempe urbis parte in qua conficiebātur ac diuendebātur sandalia. La cordouannerie.

Gallicæ, gallicarū, Des galloches, *ex Cicerone secunda Philippica, ubi loco caligarum legēdum gallicarum: & Gellio lib. 13.*

Græci uerò καλοπόδιον *appellant ligneum calciamentum. hinc prouerbium, Omnes eodem calopodio calciare. De ineptis & ineruditis medicis, qui omnibus morbis eadem adhibent remedia. Festus uerò calones uocat calceos è ligno factos.*

Sunt & alia permulta calciamentorum genera, ut

ſunt calcei phecaſei, ſacerdotum & Sicyonij, eorũ qui elegantiæ ſtudebant: ex Cicerone. quales fortaſſis ſunt quos hodie cornutos calceos appellamus. Eſt & alius calceus, qui Græcis dicitur ἐμβὰς ἐμβάδος, Tragicorũ ornamentum. Quinetiam Apuleius quoque linteos calceos nominat, quos uulgus Italorum ſcarpetas uocat, nos autem Des chauſſons.

Sed hæc omnia recenſere, maioris & longioris operæ mihi uideretur, quàm ut libelli breuitas expoſtulet. Quapropter commodius fuerit, ſi ad media ueſtimẽta quamprimum tranſeamus.

De veſtimentis mediis.

Poſteaquam ſuperiora & inferiora ueſtimenta declarauimus, uidetur noſter ordo expoſtulare, ut ad media ueſtimenta digrediamur, atque in primis à tunicis incipiendum.

Plures tunicas aliquando geſtabant antiqui, uel fortaſſis ad frigus depellendum, uel alia quauis ratione, ut author eſt Sueton. in Auguſt. & Ouid. 2. Faſt. Et nos quoque ſolemus pluribus tunicis per brumam tegi. Præter duas igitur tunicas, quas ſuperius explicauimus, nempe imam ſiue intimã tunicam, quæ camiſia dicitur uulgò: & linea tunica à Græcis λινοῦς χιτών, præter etiã mediam tunicam, cuiuſmodi tunica rubra, qua brumali tẽpore utimur. Erat & alia tunica quæ his ſuperinduebatur, quam noſtri ruſtici, uocabuli Græci ueſtigia imitantes atque retinẽtes, Hoqueton appellant, quaſi dicas, ὁ χιτών: alij Saye.

Canays, Tunica regia quæ περιπόρφυρος erat, hoc

est,purpura prætextata. T*unica hyberna*, Saye d'hyuer. P*lautus in* Milite, C*onficiātur tunicæ mihi hybernæ bonæ.*

T*unica manicata*, Vn saye a manches, *qua non sine probro uti solebant antiqui: quẽadmodum uidetur significare* Ci*cero, dum in gregem* C*atilinæ inuehitur: & Virgilius de fœmineo* P*aridis comitatu loquens,*

E*t tunicæ (inquit) manicas, & habent redimicula mitræ.* Gr*æci* χειριδωτὰς *appellant:* P*lautus manuleatas tunicas uocauit suo more.*

T*unica lati claui, siue latus clauus.* Horat. E*t latũ demisit pectore clauũ.* Vn saye a boutõs larges. *antea quidem palmata fuit, à latitudine clauorũ dicta. nunc autẽ à genere picturæ appellatur, nempe à clauis purpureis qui tunicis inseruntur.* G*ræci* χιτῶνα πλατύσημον *appellãt.* L*iuius ubique palmatam tunicam,* S*uetonius aliquando clauum.* P*linius tamẽ lib.33. pro clauis annulos ponit,* A*nnuli, inquit, distinxerunt alterum ordinem à plebe. hoc est,* T*unicæ annulatæ, siue claui lati.* I*nsigne enim fuit* S*enatorum, quo ab equestri ordine distinguebantur.* S*umitur & latus clauus pro senatoria dignitate.* P*lin. in episto.* E*go latum clauum à* C*æsare nostro, ego quæsturam impetraui.*

O*biter hæc dicam puerorũ causa,* T*unicam resutam appellari, quam uulgus uocat* Descousue. *quod uocabulũ etiam ad omnia alia uestimenta transferri potest.* T*ranquillus in* A*ugust.* S*umenti uirilem togam, tunica lati claui resuta ex utraq; parte ad pedes decidit.* Q*uòd autem ad latum clauum attinet,* Q*uintilianus in undecimo,* I*us lati claui pro* S*enatoria dignitate usurpasse uidetur.*

Tunicæ uersicolores, Sayes bigarrez, *cuiusmodi Salij cum trabeis deferebant, authore Dionysio.*

Tunica phœnicea uel coccina, Vn saye d'escarlate, *qua utebantur Romani, cùm prælij aut pugnæ signum indicare uolebant. Ea autem nunc nostris aulicis uenatoria est aut uiatoria.*

Tunica aurea, Saye de drap d'or, *qua triumphasse Tarquinium Priscum Verrius apud Plinium tradit.*

Tunicis etiam Romanæ mulieres uti solebant longè latéque diffusis, ad ulnas cruráque aduersus oculos protegenda, quarum ulnæ consutæ non erāt. unde prouerbiū, Tunica pallio propior. Quod etiam ex Ouidij uersibus elicitur. Erant igitur Romanæ mulieres φαινομηρίδες, quemadmodum & Spartanæ, quæ sola tunica, ut inquit Plutarchus, amictæ incedebant: cuius pinnæ dissolutæ aliquatenus erant. Pollux uocat σχιστὸν χιτῶνα. Fortassis id est uestimenti genus in mulieribus, quod Itali uulgò sottanam uocant: nos uerò, Vne cotte, ou vn corcet.

Tunicas substrictas & breues citra humerum desinētes Græci ἐξωμίδας uocant: ex Gellio. Qua forma tunicæ usum Catonem refert Plutarchus, cùm brumæ tempore rusticaretur. Vn saye a cheuaucher. *Nisi malis cum Plutarcho in Philopœmene χιτῶνα ἱππικὸν uocare, hoc est, tunicam equestrem.*

Tunica talaris, Vn saye long iusques aux talons, *cuiusmodi erant illæ muliebres tunicæ: ex Cicerone in Catilinam. Fortassis est ea quam rectam uocat Plinius lib. 8, qua simul cum toga pura induebantur tyrones nouæque nuptæ, quam prima texuit Caia Cæcilia. Tunica autem recta quid sit, non facilè assequi*

possum. Tunica uerò talaris, ad imos usque pedes demissa erat, quæ Græcis ποδήρης dicitur.

Tunica domestica, Vn saye pour vser parmi la maison. Cic. 2. de finibus. Quo loco etiā forēsem tunicam appellare uidetur. Vn saye pour porter hors de la maison.

Tunicam linteam purpura prætextam ab Hispanis deferri solere, quæ miro candore fulgebat, refert Liuius lib. 2. tertiæ Decadis. Quod uidetur ad uerbum uertisse ex Athenæo in sexto. Appellat enim ille huiuscemodi uestimenta χιτῶνας περιπορφύρους. Polybius quoque χιτωνίσκον περιπόρφυρον dixisse uidetur lib. 3.

Non omittam hoc loco, quòd Homerus Arguos χαλκοχίτωνας appellare solebat, hoc est, æreis tunicis indutos & armatos. Itaque χαλκοχίτων, ωνος, erit quem uulgus uocat, Vne homme armé.

Tunicatus, sola tunica indutus. En saye, en hoquetō. Græcis μονοχίτων dicitur. Qua ratione Cleopatram tunicatam Augusto iisse obuiam refert Plutarchus: & Ennius Carthaginensium iuuentutem tunicatam appellat: Athenæus quoque statuas tunicatas uocauit. Quinetiam Tacitus refert Augustum ea ignominia milites suos affecisse, ut per totum diem iuberet eos ante prætorium stare, interdum discinctos tunicatósque. Et quia fuit aliquando tempus, cùm P. R. toga non uteretur, sed tantùm tunica: itaque Tacitus plebem Romanam, populum tunicatum appellat.

Tunicam chirurgi & medici in sua anatome uocant tegumentum & membranam illā quam uiscera, inferiora quidem à peritonio, superiora autem à mediastino accipere dicunt. uulgus uocat Vne taye. Plin.

*lib.*11.*cap.*37, *Tenuibus multísque mẽbranis oculos natura composuit, callosis contra frigora caloréſque tunicis.* Idem *tuniculas oculi uocauit lib.*26.*cap.*12. Et Celſus *teſticulorũ inuolucra, tunicas appellauit.* Perſius *quoque cæpe tunicatum eadem ratione dixit.*

Tunicula molles à Gellio *dictæ, ad Catonis mollitiem exprimendam, quòd nimiũ delicato ueſtitu uteretur. Quod fortaſſis de ima ſiue intima tunica dici poteſt, quam camiſiam uocamus.* Cui *ſententiæ accidere uidetur* Turpilij *locus:* Me *miſeram, quòd inter uias epiſtola excidit mihi: infelix inter tuniculam & ſtrophium collocaram.*

Sagum, Vn ſayon, *genus tunicæ militaris quæ armis ſuperinducebatur: alij accouſtramentum uocant, ut prætoriani.* Militare *erat indumentum. unde* Tullius, *Itur ad ſaga. id eſt, ad arma.* Et *ſaga parare: apud eũdem, pro, bellum inſtruere.* Cæſar *primo belli ciuilis,* Reliqui *coeunt inter ſe, & repentino periculo exterriti ſiniſtras ſagis inuoluũt, gladióſque diſtringũt.* Ils entortilloyẽt leurs ſayes autour de leur bras gauche. *Saga Liguſtica probat* Strabo *in* 4. Plutarchus *περιζωματίδια appellat in* Artaxerxe. *Quinetiam idẽ* Strabo *milites ἐν σάγοις dixit, hoc eſt quod uulgus ait,* En ſaye. *Sagis cucullis agricolas olim uſos fuiſſe teſtatur locus* Columellæ *lib.*1.*cap.*8, *Cultam, inquit, familiam magis utiliter, quàm delicatè habeat, munitámq; diligenter à uento, frigore, pluuiáque, quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus cõfectis, uel ſagis cucullis.* Hoc *eſt, Cucullos habentibus à tergo, quibus dum pluit, caput operire poſſint.* Cato *Cucultiones appellare uidetur cap.*2. *quòd cucullam à tergo haberent*

ad caput muniendum contra imbres: cuiusmodi indumenta fieri solent iis qui captiui ducuntur ad agitandos remos in bello nauali: uulgus galeotos appellat. Cucullam *autem factam fuisse ad caput tegendum (cuiusmodi est illud quod à tergo illius pallij, quod* Hispanicum *uocamus,dependet) ostendit locus* Martialis *lib.5.*Epigram.

Illinc *cucullo prospicit caput tectus.*

A *sago fit sagulum pro eodem.* Virgil. *de* Gallis *loquens,* Virgatis *lucem sagulis.* Hoc *est,* Quæ *habent in uirgarum modum deductas uias: uel etiam purpuratis, ut inquit* Seruius. Virgam *enim antiqui* Galli *purpuram appellabant.*

Sagatus, *sago indutus.* Tranquillus *in* Cæsare Dictatore: *&* Martialis,

Vis *te purpureum* Marce *sagatus amem?*

Et *sagaria ab* Vlpiano *dicta, pro arte conficiendi uel uendendi saga, quemadmodum lintearia.*

Sagum, *fibula consertũ,* Vn saye attaché auec vne boucle, *dixit elegãter* Tacitus, *de moribus* Germanorũ.

Abolla *quoque militaris erat tunica, quæ tyria à* Martiale *dicitur:*

Nescit *cui tyriam dederit* Crispinus *abollam.*

Læna, *quam* Græci χλαῖναν *uocitant, à militibus per æstatem deferebatur.* Ea *quoque uillosa in sacrificiis usos antiquos* Cicero *in* Bruto *testatur.* Et *pellenicæ lænæ celebrãtur, antiquis uictoribus* Athletis *præmij loco dabantur.* Nonius *inter uestes ponit.*

Succurrit *hoc loco, quando de læna uillosa sermo est, non ineptum fortassis fore, si eadem ratione, qua uillosa læna à* Cicerone *dicta est, sagum etiam uillosum*

dicamus: cuiusmodi passim nunc in Italia *uti solent, &* *apud* Gallos *non pauci sagum phrysatum uocant,* Vn saye phrysé.

De vestimentis externis.

SVpersunt nunc exteriora uestimenta, quae omnia ferè togarũ ac uestiũ nominibus continentur. Itaque primùm de togis, deinde uerò de uestibus dicemus: post haec autem ad ornamenta & colores digrediemur.

Toga, Vne longue robe, *tunicae toga superinduebatur uel tunicis potius.* Erat *autem* Romanorũ, *quemadmodũ pallium* Graecorũ: *unde* Comoediae *togatae dictae, quae* Romanorum: *palliatae, quae* Graecorum. Solis *autem* Romanis *ciuibus licuit olim toga uti : & sanè fuit tempus, cùm sex uulgi nõ temerè unquam* Romae *toga uteretur, sed sola tunica.* Togã Plutarchus τήβεννον, Athenaeus τήβενναν *uocat.* Itaque *togatos rectè appellabimus eos, quos uulgus uocat* Gents de longue robe: *nempe* Senatores & *magistratus forenses, quorum decus est oblongiore ueste amictos incedere.*

Toga *etiamnum pacis insigne fuit: hac enim maximè differebant* Senatores *togati à sagatis militibus.* Tullius *in* Pisonem, Non dixi *hanc togam, qua sum amictus, nec arma, scutum, & gladium unius imperatoris, sed quod pacis est insigne & otij toga: contrà autem, arma tumultus atque belli.* Vnde *etiam hic uersus à* Cicerone *factus,* Cedant *arma togae.* Hoc *est,* Bellum *paci concedat.* Inde *quoque togati, pro pacis amatoribus ab eodem dicti lib. 4. ad* Atticum, Ergo *erimus* ὀπλῖται *qui togati esse uolumus?* Hoc *est, bellum ig-*

tur suscipiemus & arma, quũ nos magis delectet pax ipsa, atque adeò toga, quæ est uelut pacis & otij insigne? Cæterũ etiam à togæ frequenti usu Gallia togata dicta est, quæ est nunc Italiæ pars intra Padũ, Rubicónémque, & Apenninũ montẽ. Dicti quoque Hispani togati & stolati, qui Beticam incolunt: & Xerxes togatus à Magno Pomp. dictus, ut testatur Plinius.

Toga candida utebantur, qui magistratũ petebant. unde extat oratio M. Tullij habita in toga candida: nẽpe in Catilinam & Antoniũ competitores. Liuius album uestimentum uocat 4. ab urbe, Placet tollẽdæ ambitionis causa tribunos legem promulgare, ne cui albũ uestimentum addere petitionis causa liceret. Inde candidati dicti qui magistratum petebant.

Toga quoque alba hilaritatis index fuit, qua in epulo, uel publico, uel parentali utebantur. unde albati dicti. Cic. in Vatinium, Cùm ipse epuli etiam dominus Quintus Arius albatus esset, tu in templũ Castoris te cum T. Fibulo atrato, cæterísque tuis furiis, funestum intulisti. Horatius 2. Serm.

Ille repotia, natales, alió sue dierum
Festos, albatus celebret. Græci λευχειμονοῦντα uocant.

Toga pulla siue atra, Vne robe de dueil, qua in funeribus utebantur, ut nunc quoque utimur. Cic. in Vatiniũ, Quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari cœnauit cum toga pulla? cui de balneis exeunti præter te pulla data est? Vnde pullati & atrati dicti. Cicero eodẽ loco, Quæro, quis unquam cœnauit atratus? Græci uocant μελανειμονοῦντας. Hæc Budæus in reliquis annot. in Pandect.

Togula, Vne petite ou mince robe. Martialis,

Trita quidem nobis togula est, uilísque putrísque. Hinc fit Togatulus, qui togula utitur. Idem 7. Epigrammatum, Sit maior numerus togatulorum.

Nempe togatulos appellare uidetur eos qui potentiores magistratus mane salutatū ibant, & per urbem concomitabātur honoris & præmij gratia. quod munus uulgus uocat, Faire la court. Itaque togatuli erant quos cortisanos dicimus.

Toga pura dicebatur, cui nulla purpura prætexta erat, quam ἀπόρφυρον καὶ τέλειον ἱμάτιον, hoc est, iustam & sine purpura uestem appellat Plutarchus in Antonio. Hac autem, ut inquit Plinius in 8. induebātur tyrones, nouǽque nuptæ eo ipso die quo uiris tradebantur, quæ tūc temporis ineptè uirilis dici potuisset. Lucanus in principio 7, -pura uenerabilis æquè Quàm currus ornante toga. Id est, nec picta, nec triūphali, nec prætexta. Vide Budæum in Pand.

Toga uirilis, quam ἀνδρεῖον ἱμάτιον uocat Plutarchus in Bruto, sumebatur sedecim annorum ætate statim post prætextam depositam. Quod coniicitur ex Tranquillo in Aug. Duodecimum annum agens, auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit. quadriennio pòst, uirili toga sumpta, &c. Sumebatur autē in tēplo Iouis Capitolini, ut inquit Varro. Et quomodo à toga uiri censebantur, sic Athenis, ἐδοκιμάζοντο, id est, εἰς ἄνδρας ἐγράφοντο, καὶ ἐτάττοντο εἰς ἄνδρας, quod & τελεῖν εἰς ἄνδρας dicitur. Cicero in Philippicis, Sumpsisti uirilē togam, quam statim muliebrem stolā reddidisti. Scommate Philippum excipit, quòd etiā uirili toga sumpta, non abstineret ab effœminatis & puerilibus negotiis.

Toga prætexta, uel prætexta absolutè, dicebatur ea

toga, cuius oræ & circuitus purpura prætextus erat. Hac de re περιπόρφυρος *à Plutarcho in Publicola dicta, quasi habens in circuitu purpuram intextam, & cuius limbus erat purpureus. Limbus autẽ, ut postea in ornamentis docebimus, erat fascia, quæ ambibat extremitatem uestium in circuitu. Virg. 4. AEneid.*

Sidoniam picto chlamydem circundata limbo. Id autem est prætexere. Quod uerbum ab authoribus antiquis usurpatum uideo, pro eo quod uulgò dicimus Bordare & Cooperire bordum. Ausonius, Quibus Danubij ora prætexitur. id est, cooperta & bordata. Et Ouidius prætexta uelis littora dixit, pro bordatis. Item Plinius lib. 17, prætexta tuguriorũ appellauit, quæ nos borta tecti tuguriorum barbarè diceremus.

Vt autem ad prætextam redeamus, Budæus ex Pædiano refert prætextam nobilium fuisse tam mulierũ, quàm uirorum, idque exemplis Ciceronis comprobare uidetur. Plutarchus item & Liuius pueros prætextatos appellãt. Plura uideto in annot. reliquis in Pãdectas.

A prætexta, prætextata amicitia, iam inde à puero cœpta apud Martialem, Prætextati quoque cognomentum Papyrio inditũ, uulgatissimum ex Gellio. Prætextatus item dicitur, qui nondum posita prætexta, togam uirilem sumpsit. Tullius in secunda ad Antonium, Te néſne memoria, prætextatũ te decoxisse? Prætextatum dicit eum qui pupillari ætate esset.

Prætexta etiam magistratuum erat ex Liuio, qua utebãtur censores qui erant ueluti in apice & culmine dignitatis cõstituti, de quibus loquitur Atheneus. Quinetiam Cicero pro Cluentio, prætextam inter ornamenta senatoria ponit.

Concessum est etiam aliquando Romanis senatoribus, honoris ergô, toga uti prætexta in spectaculis, cùm alioqui lacerna in usu uulgi esset. Qui honos concessus est à senatu M. Catoni cum præcipua prætura. id refert Plutarchus in Catone.

Prætexta pulla nulli licebat uti, authore Festo, nisi qui funus faciebat: quæ haud scio an alia fuerit à toga pulla, de qua satis dictum est. Budæus.

Redeamus ad togam. Quibus igitur hominibus uti toga Romana licebat, ij ut ciues habebantur. nam qui ciuitatem Romanam amittebant, usum quoque togæ amittebant. Budæus. Cæterum solebant Romani togati, potentiores concomitari per urbem cum aliis ciuibus togatis qui etiam mane eos salutatum ibãt. Atque hinc est quod Martialis togam raram optat inter cæteras uitæ felicitates, ne cogatur bene mane togatus circunuolare limina potentiorum, salutationis defuncturus officio. quod qui diligenter obibant, sportulam in singulos dies accipiebant, centum scilicet quadrantes, qui nummus ualet decem solidos ex nostris. Præterea fuit tempus, cùm toga commune uestimentum esset diurnum ac nocturnum, & muliebre & uirile. Postea uerò mos fuit, ut mulieres adulterij conuictæ uirili toga indutæ, in publicum procedere cogerentur, ut refert Isidorus. Hinc Horatius 1. Serm matronas, togatas uocat:

-quid inter
Est, in matrona ancilla peccésue togata? Matronæ enim quæ à maritis repudiabantur, togam accipiebant sublata stola propter ignominiam.

Toga attrita, Vne robe vsee. Martialis, Attrita ueniet sportula sæpe togæ.

Toga etiam pro facultate oratoria. Lucanus de Cicerone, *-cuius sub iure, togáque*
Pacificas sæuus timuit Catilina secures.

Toga *pinguis,* Vne grosse robe, *pro crassa & spissa, quales sunt quas uillosas nunc quidam gestiunt.* Sueto. *in* Augusto, *Hyeme quaternis quum pingui toga tunicis muniebatur.*

Toga *arcta,* Vne robe estroicte. *Horat.* 1. *Epist. Arcta decet sanum comitem toga. Arctiori enim, ut opinor, toga utebātur comites, antea ambulones, & salutatores illi, de quibus suprà diximus potius, quàm cuiusuis ordinis alij.* Togam *restrictam appellare uidetur* Suetonius *in* Augusto.

Toga *laxa,* Robe large a plein fōd. *Togas enim, inquit* Acron, *Romani pro census modo, laxas uel arctas gerebant.* Itaque *laxas togas,* Senatorum *magis fuisse putauerim: quas etiam fusas appellasse uidetur* Suetonius *in* Aug. *Togis neque restrictis, neque fusis usus est: clauo nec lato, nec angusto.*

Toga *picta triumphantium fuit, quemadmodum & trabea.* Festus, *Picta quæ nunc toga dicitur, antea purpurea uocitata est. erátque sine pictura, &c. nempe palmata apud antiquos.* Græci *pictas uestes* ἀνθινὰς *appellant, quarū multa mentio apud* Athenæū, Strabonem, *& alios.*

Toga *purpurea, quam* Plutarchus *triumphalem etiā uocat.* Tullius *in secunda* Philip. *Antecedebat in rostris collega tuus amictus toga purpurea in sella aurea.* Liuius *primo belli* Macedonici, *Dona ampla data quæ ferrent regi, uasa aurea, argenteáque, togáque purpurea.* Quibus *uerbis adducor, ut credam uestem*

illam, quam sacri Euangelij scriptores purpuream & purpuram dixerunt, fuisse togam purpuream, quæ & toga picta dicebatur: qualis in Seruatoris nostri ludibrium scilicet, tanquam à Senatu, Populóque Rom. missa fuit illi qui se regem Iudæorum diceret, ut mentiebantur Iudæi.

Togas rasas Phrygianásque diui Augusti nouissimis temporibus fieri cœpisse scribit Fenestella. Nescio an sericeas, & arte laboratas intelligat. Itali enim rasum adhuc uocant Du satin, *quòd fortassis nullis uillis hirtus appareat, quemadmodum holosericum, quod uillutum etiam appellant.*

Toga palmata eadem cum trabea fuit & picta: triumphalis enim erat, & à uictoria dicta, quæ palmæ nomine significatur. Martialis, Palmatæque ducem sed citò redde togæ.

Trabea triumphantium erat, ut toga picta. Hinc Ausonius, Trabea ut in pace, consulum: sic in uictoria, ducis triumphantis. Itaque trabea quoque consularis fuit, quod etiam Ammianus confirmare uidetur: appellat enim consularē trabeam, quæ à consulibus deferri solebat. Virgil. 7. AEneid.

Ipse Quirinali trabea, cinctúque Sabino
Insignis. Vbi Seruius, Sabinum cinctum, interpretatur trabeam sic in tergum reiectam, ut una eius lacinia à tergo reuocata hominem cingat. Quo uestimenti genere utebatur consul bellum indicturus. Quinetiam Salios Dionysius refert tunicis uersicoloribus indutos fuisse, togásque annectentes fibulis circunductis purpura, subtegmine puniceo, quas trabeas uocāt. Est enim gentilis ea uestis, Romanis ualde honorifica.

Quo ex loco pueris non inutile fuerit disserere, quàm eleganter dictum sit annectere togam fibula purpura circunducta. Clorre ou fermer & ferrer la robe auec vne boucle entouree d'escarlate : *cuiusmodi* Virgilius *dixisse uidetur,*

Aurea purpuream subnectit fibula uestem. Præterea *subtegmen, illud esse quam tramam uocamus.* Itaque *coniicere possumus has trabeas, quas* Dionysius *describit, textiles fuisse : idque ex* Virgilio, *cùm de* Andromache *loquitur:*

Nec minus Andromache *digressu mœsta supremo*
Fert picturatas auri subtegmine uestes. Postea *uerò subdit,* Textilibúsque *onerat donis.* Fuit *enim sanè tempus, cùm* Trabeæ *equitum essent, ut coniecto ex* Martiale *in* Didymum,

Theatra *loqueris, & gradus, & edicta,*
Trabeásque *&* Idus, *fibulásque, censúsque.*

Cæterũ *trabearum tria esse genera scribit* Suetonius. Vnum, *quod dis sacratur, & est totum purpureũ.* Alterum, *quod est regum, quod etiam purpureum est, sed albo infectum.* Tertium, *est augurale, purpura & cocco mixtis infectum.*

Trabea *quoque utebantur equites in funebri pompa, ut inquit* Tacitus *in tertio, de funere* Germanici. Trabeam *autem* Plutarchus *in* Romulo ἁλουργίδα *uocare uidetur.*

Paludamentum, Vne cotte d'armes, Plutarchus *in* Lucullo ἐφεστρίδα *uocat, & in* Crasso φοινικίδα, *pro purpureo paludamento posuit.* Erat *autem imperatorum & militum amictus, quo super armis indui solebant.* Dicerem *id uestimenti genus, cui intexti liliorum*

flores, quódque induti reges Gallorum depingi solent. Plutarchus in Iulio Cæsare στρατηγικὴν ἐσθῆτα *uocat. hinc paludatos duces dixit Iuuenalis. Tullius ad Cassium, Pansa noster paludatus ad tertiū Cal. Ianuarij profectus est. Vtebātur & milites Græci alio genere uestis, quā* ἐφαπτίδα *appellat Athenæus in quinto. Paludatum autem, uulgus uocat Encottemaillé.*

Paludamento aureo textili, sine alia materia indutam Agrippinam Claudij principis uxorem in nauali spectaculo refert Plinius. Quod Tacitus non paludamentū dixit, sed chlamydem auratam, in duodecimo.

Chlamys, uestis militaris & regia, quæ, ut inquit Strabo libro secūdo, Græcorum, & maximè Macedonum fuit, qua pro paludamento utebantur. Dionysius libro quinquagesimo, chlamydem pro ueste militari, Romanorum paludamento fortasse, uel sagis posuisse uidetur. Quinetiā chlamydem Vlpianus inter puerilia recenset, qua Numa primus Romanorū regum usus est, & eadem coccina usum Alexandrum imperatorem testatur Lampridius. Cicero pro Rabirio, Chlamydatum L. Syllā imperatorem uocant. Et Plautus chlamydulam appellauit. Quod autem Virgilius de Didone loquens dixit, Sydoniam picto chlamydem circundata limbo. id quidem ad regiā maiestatem ostendendam dixit: ac ne uideretur minus propriè fortassis mulieri attribuere huiuscemodi uestimenti genus, addidit pictum limbum. Erat autem limbus, ut id quoque obiter etiam dicamus, fasciola quædam siue uestita, assuta extremæ parti uestium muliebrium: cuiusmodi passim apud Germanos deferre uidentur nobiliores matronæ. Inde textores limbolarij à Plauto di-

d.i.

cti,quorum officiũ erat huiuscemodi fascias arte quadam eleganti intexere.

Pallium Græcorum fuit,quemadmodum toga Romanorum. Tullius pro Rabirio,Consularis homo, soccos habuit & pallium. Quod inter uestimenta communia, quæ Tacitus in tertio promiscua appellare uidetur,ponit Vlpianus. ea uulgus uocat Robe a touts les iours.Gellius libro 9,Herodi philosopho pallium attribuit . unde Palliotenus & Barbatenus philosophi dicuntur,qui nihil habẽt præter palliũ & barbam.Pallia etiam pro linteis quibus in lecto utimur, sumpsit Iuuenalis satyra 6,

Aduocat Archigenem,onerosáque pallia iactat.Horatius uestem nocturnam dicit:Vestem nocturnam maculant,uentrémque supinum.Les draps du lict.

Palliis etiam mulieres utebantur,quæ tunicis superimponebant : unde prouerbium , Tunica pallio propior. Erant & pallia cœnatoria , quibus tum uiri, tum mulieres utebãtur, dum in tricliniis cœnarent:de quibus Martialis,

Ad cœnam uenies:sed sic in mensa recumbes,

Vt non tangantur pallia nostra tuis . De palliis cœnatoriis intelligit , quæ eadem & cœnatoria absolutè dicebantur.Idem libro 10, -ebriáque noctis Cœnatoria mittat aduocato.

A pallio fit palliolum,quod laneum fuit . Martialis, Sucida palliolo uellera quinque petit. Iuuenalis quoque mulieres palliolatas fuisse testatur. Hinc palliolata uirgo apud Martialem:& palliatus apud Gellium,libro 9.

Palliolum quoque pro breui operimento sumi po-

test, quod humeris coniicimus, dum peregrè proficiscimur. Vn manteau. *Plautus in Epid. Orna te Epidice, & palliolum tuum in collum coniice.* Iecte ton manteau sur tes espaules.

Palla, inquit Varro, ideo dicta, quòd palàm sit. Quae uaria fuit, & multis propria. pallā enim gestabāt mulieres, quae palla honesta Horatio dicitur: ea etiam tragoedi utebantur: ex Ouidij tertio Amorum. Praeterea fuit palla longa ad terram usque promissa: apud Virgilium. fuit & palla breuis quae Gallica dicebatur. erat autem facta ad formam nostri palletoci manicati. Martialis,

Dimidiásque nates Gallica palla tegit. Quem uersum uidetur interpretari Strabo in quinto, cùm ait, tunicarū uice pallas manicatas à Gallis gestari solere, ad uerenda usque, natésque medias pertingentes. Fortassis non ineptum fuerit, quam cappam Hispanicam uulgò uocamus, pallam Hispanicam uocare: qua breuissima utūtur Florētini, Vne cappe a l'espaignole. *Habet autem à tergo, & de humeris dependentem cucullum ad arcendos imbres, & collum ac caput ab iniuriis externis protegendum: Itali uocāt* Vn capuzzo: *nostrū uulgus cappetam uocat; quae monachorum quoque propria est.*

Bardocucullum autem opinor eundem fuisse, cum palla Gallica, quo scilicet Galli Xanthones utebantur. dictum quasi bardus cucullus: hoc est, rudis & malè compositus. Martialis,

Gallia Xanthonico uestit te bardocucullo:
Cercopithecorum penula nuper erat.

Penulam autem abusiuè nobilissimi ueteres dixere

omne quicquid tegit, uestimenti genus itinerarium ad pluuiā arcendā, ut inquit Lampridius: *nos uiatoriam uestem dicemus, qua etiam mulieres utebantur peregrè proficiscentes. Græci* φαινόλην *uocant, &* μανδύην: *cuius uerbi uestigia sequentes, nos* Manteau *dicimus: habet enim* Mandya *simile quiddā cum penula: qua etiam oratores usos refert* Tacitus *&* Lampridius *in* Alexādro *senes.* Hinc *fit penulatus, pallio amictus,* Amātelé. Cic. *pro* Milone, Cū *alter ueheretur in rheda penulat⁹.*

Penula *scortea utuntur ij qui solenne habent uisere ædem* D. Iacobi *in* Compostella. Broudes *uocamus.* Appellant *autem* Hispani *lingua sua huiusmodi tegumētum* Mozeta dicuero. *Scorta enim ueteres, pelles nominabant.* Vtuntur *& penula scortea pegasarij cursores qui à* Gallia Lugdunensi *quinto aut sexto demum die* Romam *aduolant, subinde per stationes mutatis equis: uulgus postas uocat.*

Penula *gausapina, erat crebra & uillosa, qua hyberno tempore & frigido utebantur.*

Lacerna *præterea utebantur* Romani *ad arcendas pluuias, quam togæ superimponebant, cùm spectaculis operam sedentariā præstarent.* Iuuenalis Satyra *nona,*

- pingues aliquando lacernas,

Munimenta togæ duri crassique coloris. Quod *idem ex* Trāquillo *&* Martiale *probatur.* Eandem *quoque militum fuisse uidetur significare* Propertius *in quarto,*

Texitur *in castris quarta lacerna tuis.* Dicta *lacerna quasi lacera, quòd capite minus sit.* Ea *autem non utebantur illustriores, nisi pluuio tempore, aut in spectaculis: quas autem in spectaculis deferebant, albas fuisse coniicimus ex* Martiale, *qui in* Horatium *ludit,*

quòd nigra lacerna opertus spectaculis adfuisset. Lacernis quoq; mulieres usas uidetur innuere Iuuenalis in prima satyra. Quin etiã in plerisq; Italiæ ciuitatibus matronæ lacernatæ mirificè tẽperato gressu incedunt.

Fortasse non ineptum fuerit nostros iuris utriusque doctores, quum cappis, quas uocant, pellitis ornati incedunt, laciniis ornatos dicere: id autem insigne plerunque apud Italos deferre solent.

Sacerdotes quoque qui canonici dicuntur, lacernis nigris ornantur & cucullo, cùm in choro psalmos Dauidicos decantant. Tempore uerò æstiuo utuntur amictu pelliceo, quem ab amiciendo opinor aumuciam uocant. Vne aumusse.

Item uidẽtur lacernæ esse eæ quibus cardinales Romæ obequitando triumphantium more utuntur, sacerdotũ, ut ita dicam, dibaphici ius adepti cum cucullo & causia purpurea. Cæterũ lacernas pauperiorum fuisse ostendit Iuuenalis in tertia.

Endromis, uestis genus quo ἐν δρόμῳ, hoc est, in cursu & palæstra utebantur, quam pinguem hirsutámque, & uilli longioris fuisse constat ex Martiale lib. 4. Iuuenalis item in sexta taxat mulieres Romanas, quæ endromide purpurea uterentur.

Sindon, uestis linea à Polluce dicta, uel amictus ex lino AEgyptiaco, quod nunc dicrossum appellatur: dicta, ut opinor, quia primùm in Sidone urbe huiusmodi amictus fieri cœpit. ob id Tyria à Martiale dicta. Erant enim uicinæ urbes Tyrus & Sidon.

Othonium autem uestimentum magis ex lana fuit, hoc est, ut ait Homerus, ἐξ ἐρίου potius, id est, ex lana: quàm ἐκ λίνου, id est, ex lino.

De operimentis & instratis.

NE quicquam amplius ab adolescentibus bonarum literarum studiosis desiderari possit, earum præsertim rerum quæ ad uestium cognitionem pertinent: superest ut quàm breuissime à nobis fieri poterit, eorum uestimentorum, uel potius operimentorum rationem explicemus, quibus passim utimur, præter ea quæ corpus tegunt. Quanquam tamen uestimenta dici quis negauerit, si quidem uocabuli uim consyderet. non enim stragulis, tapetis, & huiuscemodi rebus uestimentorum loco utimur: sed quando nobis hac in re uocabulum magis proprium deest, utemur eo quod minus proprium est. Itaque primùm de instratis dicemus.

Amphitapæ dicuntur uestes utrinque uillosæ, quæ quia uillis ingentibus, ut inquit Lucilius, molles erant, ideo lectis insternebantur, super quibus dormire deliciosum antiquis fuit. Varro Manio, Alterum bene acceptum, dormire super amphitapa bene molli. Athenæus ἀμφίταπον dixit: Hisce, inquit, amphitapi substernebãtur è molli lana. Fortassis id opertorium esse non ineptum fuerit dicere, quod ex Hispania ad nos adfertur: uulgus uocat Vn catalogne.

Amphimalla quoque utrinque uillosa erant, quemadmodum amphitapa (id enim nomen ipsum significare uidetur) utebantùrque iis tum ad stragula, tum etiam ad operimenta & uestimenta. Vnde Strabo in quinto, Mediocrem uerò lanam ager Patauinus, ex qua tapetia fiunt laudatissima & gausapinæ, cæteráque eiusdem generis amphimalla & heteromalla.

Heteromalla autem, sunt altera parte tantùm uillosa, ex etymo: cuiusmodi ferè sunt mantæ uulgo dictæ, quas Massiliæ *fieri uidemus, quæ & amictus & stragulæ uestis usum nauigantibus præstant*, Mantes de matelots.

Gausape uerò, siue gausapinæ, tria hæc suprà dicta cõprehēdit, ésque genus ad omnia crassiora stragula.

Stragula item à sternendo, Vne couuerture, *Dicitur quicquid insternitur alicui rei. Vnde stragulæ Babylonicæ, quæ equis insterni solent. Marcus Cato, ut refert Plutarchus, cùm ex hæreditate Babylonicũ stragulum accepisset, statim uēdidit. Fiebant autem huiuscemodi stragula aliquando ex bubalorũ pellibus, quos uulgus uocat* Buffles. *Atqui Babylonica stragula picta coloribus diuersis erant.*

Præterea toris stragula superimponebantur, Couuertures de licts, *quæ ob id toralia dicta sunt. Ex libello de uasculis.* Horatius 2. *Sermonum*,

Et Tyrias dare circum illota toralia uestes? Toralia enim omnia lecti stragula comprehendunt. unde Tranquillus refert Claudium Cæsarem neminem uisitasse ægrum, nisi prius explorato cubiculo, culcitrísque & stragulis prætentatis & excussis. Culcitræ autem adhuc apud Italos & nos quoque nomen retinent: appellant enim illi Coltre, nos Coutils. *súntque ij ueluti sacculi in quibus pēnas auium, uel lanam, aut quiduis aliud includimus, ut lecti sint molliores.*

Stragula uillosa, Couuerture de catalogne *Mart.*
Stragula purpureis lucent uillosa tapetis.

Plagæ (inquit Nonius*) grande lineum tegmen quod nunc torale, uel lecticariam sindonem dicimus. Fortas-*

ſis eſt illa ueſtis linea,uel inſtratum lineũ potius, quod apud nos puerperæ honoris & decoris gratia lecto,in quo decumbunt, ſuperponere ſolent, ad candorem & cultum delicatiorem oſtendendum. Vne bauette.

Pallia lecti dicebantur, Les draps du lict. *Ouidius in Amoribus,*

-nec in lecto pallia noſtra ſedent. *Iuuenalis 6,*

Aduocat Archigenem,oneroſáque pallia iactat. *Horatius ueſtem nocturnam appellare uidetur,*

Veſtem nocturnam maculant, uentrémque ſupinum.

Lodix, Vn loudier. *Martialis,*

Lodices mittet docti tibi terra Catulli.

Sub ſtragulis quoque iuriſconſ.aulæa & tapetes cõprehendit. Itaque aulæa,ſtragula ſunt uerſicoloria,ut ait Seruius. dicta quòd primùm in aula Attali regis Pergamenorum inuenta ſint. Propertius,

Porticus aulæis nobilis Attalicis.

Tapetes item ſiue tapetia,tegmina ſunt uariis picta coloribus: Des tapiz. *Virgilius,*

Inſtratos oſtro alipedes,pictóſque tapetas. Vnde belluata tapetia, Tapis figurez. *Plautus,*

Neque Alexandrina,belluata,conſutáque tapetia.

Centones præterea genus tapetiorum ex uariis conſutorum, quod intelligere uidetur Plautus uerſu ſuperiore per conſuta tapetia: ſolebántque huiuſcemodi tapetes capſulis & tabulis inſterni, quemadmodum nũc quoque quos uocamus Tapiz de Turquie.

Sunt etiam alia tapetia picta & uerſicoloria, quæ à Græcis περιςρώματα uocantur. Cicero Philip.2, Conchyliata Cn. Pompeii periſtromata dicit. uide Plutarchum in Themiſtocle. à uerbo περιςρώννυμι, quod coope-

rio & communio atque exorno significat. Itaque peristroma generale quiddam erit, quemadmodum & tapetes & stragula. Conchyliata autem peristromata dicuntur quæ infecta sunt conchyliorũ succo uel murice.

Sunt & peripetasmata, aulæa, quæ ad ornandum locum suspensa extenduntur, Itali uocant Di razi *: de quibus intellexisse uidetur* Horatius, *cùm inquit,*

Interea suspensa graues aulæa ruinas
In patinam fecere. Cicero *6 in* Verrem, Q*uid illa* Attalica *tota* Sicilia *nominata, ab eodem* Heio *peripetasmata emere oblitus est?* A *uerbo* περιπίπτω, *quod decidere significat.*

Aulæum autem, est id tapetis genus, quod aulæ circumponitur ornatus causa. Cicero *pro* Cælio, Deinde, *inquit, scabella concrepant, aulæum tollitur.*

Mantilia, Des torchemains, ou seruiettes, *Græci* χειρομάκτρα *uocant: quibus utebantur ad manus abstergendas post lotionem.* Martialis,

Attulerat mappam nemo: dum furta timentur,
Mantile è mensa sustulit Hermogenes.

Mappas autem secum omnes adferebant, dum unà cœnarent. Dicerem *hoc loco & de culcitris, puluinis, ceruicalibus, & aliis huiuscemodi, nisi id unũ uererer, ne præter institutum fecisse, & longior ac fusior quàm res ipsa requirat, fuisse iudicarer. Itaque quod superest de hisce rebus ad rem domesticam spectantibus, in alium libellum differemus, siquando per otium nobis liceat bonis ingeniis hac in re consulere. Prius quàm tamen supersedeo, tantùm hoc addam (ut totus de uestibus sermo clausus ac finitus uideatur) quod noster* Baysius *etiam in calce libelli sui posuit de coactilibus.*

Coactilia enim pelles sunt, siue lora quibus inuoluuntur alligantúrue uestimenta: quæ omnia instrumenti uiatorij sunt. Græci φάσκωλον dicunt, Itali Valiza: nos uerò Vne malle. Vidulum appellare uidetur Plautus in Epidico, Rectè obsignatum in uidulo est marsupium.

De lanarum & vestium coloribus.

QVando noster ordo expostulare uidetur, ut post explicatas uestes, lanarum etiam ac colorum genera explicemus, danda est opera ut puerorum studiis hac in re satisfaciamus. Tantùm enim de hisce rebus ea à nobis dicentur, quæ ad institutum nostrum, hoc est, ad uestium & lanarum colores spectare uidebimus. Cætera diligens lector ab Antonio Thylesio, uiro doctissimo requiret, in eo libello quem de coloribus conscripsit.

Quòd autem ad lanarum differentias attinet, ne quid obscuritatis ex huiscemodi controuersia lectoribus oriatur, præstantiórne sit Mutinensis, Mediolanensis, an Ligustica, eos remittemus ad secundũ caput Baysij. Tantùm hoc addemus, apud omneis ferè nationes Gallicam lanam maximo esse in pretio, ut præstantior & delicatior ab omnibus iudicetur.

Lanarum igitur colores natiui memorantur quatuor præcipui, etiã si Plinius dicat uel natiuis nomina deesse aliquot modis.

Albus, Blanc, qui color uisum disgregat. hinc alba uestis, quæ uulgò nomen suum retinet, Vne aulbe. Alba etiam ueste ornari solebant qui candorem animi

& hilaritatem præ se ferebant, ut in conuiuiis. Cicero in Vatinium, Cùm ipse Qu. Arrius epuli dominus albatus esset. Hodie quoque apud Italos uirgines desponsatæ, quas uulgus uocat Fiancees, albis tunicis uti solent ad duritatem quandam & integrum pudorem ostentandum.

Niger, Noir, qui color uisum congregat. A quo nigra uestis dici non consueuit, sed atra & pulla potius. inde atrati & pullati Ciceroni, qui luctum & dolorem ex uestitu significabant. Camelinus quoque color à Sipontino pro pullo usurpatur, qualis solet esse camelorũ.

Coracinus color, hoc est niger, qualis solet esse coruorum, quos κόρακας Græci uocant. Hunc autem colorem distinxisse uidetur Vitruuius à pullo lib. 8. cap. 3. Per id tempus, inquit, adigitur eò quotidie potum, ex eóque, quanuis sint alba, procreant aliis locis leucophea, aliis locis pulla, aliis coracino colore.

Rutilus, à Græcis ξυθρὸς dici potest. Martialis uerò rufum appellat, Roux. Quanquam rufum à rubore dici putat Gellius. hinc rufum puerum uel hominem dicimus, qui colorem habet rubore quodam modo tinctum. Terentius, Siquis me quæret rufus.

Fuluus autem, uidetur de rufo atque uiridi mixtus. hinc poetæ fuluũ aurum & arenam & leonẽ dicunt.

Flauus contrà, Fauue, uidetur ex uiridi, rufo, & albo concretus, unde flauentes comæ à Virgilio dictæ, & flauentes frondes oliuarum, & Pacuuius flauam aquam, & flauum puluerem dixit. Flauentes autem comæ dicuntur quæ sunt punicei coloris, blondos uulgus uocat. Quod ex Ouidiano uersu probari potest, secũdo de Amoribus,

Seu flauent, placuit croceis Aurora capillis.

Rufi praeterea coloris multae aliae species sunt, quas subinde explicabimus. nam praeter fuluum & flauum, ut inquit Gellius, *rubidus, phoeniceus, & rutilus, & spadix, appellationes sunt rufi coloris: de quibus postea dicemus.*

Rubidus & rufus colores, atrore multo permixti sunt.

Phoeniceus, rutilus, & spadix, synonyma ex Gellio, *significántque exuberantiam, splendorémque ruboris, quales sunt fructus palmae arboris non admodum sole incocti: unde spadicis & phoenicei nomen.*

Phoeniceus autem à Phoenicia *dictus: unde & puniceus dicitur, ut punicea rosa apud* Horatiũ & Plau*tum in* Rudente, *Fac tibi puniceum corium, postea atrum denuó.* Cuir violet. *Hinc etiam mala punica, quae & granata dicuntur à* Plinio, Pommes de grenade: *quae in punicis arboribus nouem generũ dicta sunt.* Fortassis *à colore interno acinorum, & liquore ipso uineo nomen sortita, aut quòd ex* Phoenicia *primùm allata sint.*

Spadix, color equorum proprius, quo infecti equi, à Virgilio *spadices honesti appellantur,* Georg. 3. *Vulgus appellat* Bayars, *Graecae linguae uestigia retinens.* βαΐον *enim apud illos spadicem significat, quem baliũ uel badium* Varro *appellat. Equi, inquit, colore dispares item nati, hic balius, iste giluus. Quo loco utrum legendum sit badius an balius, incertum est. Sed balias uestes pro subrufis à* Vopisco *in* Aureliani Caesaris *uita dictas inuenio, etiam si scriptum sit blateas. Subrufus autem color dicitur, qualis est eius uiolae quã*

nos Calendulam *uulgò uocamus*, Du ſoulſiz, *quaſi florem omnium menſium, ut uocant* Itali: *uel ut nos, ſoliſequium , dicere uellemus.* Heliotropium Dioſcorides *uocat, ſubrufique coloris eum eſſe contendit.* Cæterum, *balius color, ſpadix dicitur & puniceus: fortaſſis is eſt quem uulgus uocat* Baillet.

Giluus *autem color & melinus idem ſunt, mediúſque eſt inter album & fuſcum, qualis eſt mellis color: unde melinam ueſtem dixit* Plautus *in* Epidico,

Vbi ergo eſt, niſi ſi in uidulo aut melina attuliſti? Fortaſſis is eſt color, quem uulgus uocat Tanné guarãcé.

Quod autem giluus, albus non ſit, ut quidam putant, ſed quiddam mixtum inter album & fuſcum, id oſtendere uidetur locus Virgilij,

-color eſt deterrimus albis Et giluo.

Luteus *quoque, rufus eſt color, ſed dilucidior,* Du iaulne, *quem* Nonius *ait propriè croceum dici.* Virgilius *in* Bucolicis,

Iam croceo mutauit uellera luto. Et alibi,

Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis. Item & oui uitellum, luteum dicimus. Luteam quoque uiolam uocamus, Des giroflees iaulnes, Quam deſcribit Dioſcorides in capite Leucoij: *ait enim eius ſpeciei uiolarum, quas uulgus uocat* giroflees, *alias eſſe rubras, alias albas, alias luteas, quæ præcipui ſunt in medicina uſus. quamobrẽ corruptè uocatur hæc poſtrema uiola à pharmacopolis leucoion luteum. Sunt præterea permultæ herbæ quæ luteum florem gerunt, qualis eſt* Iſatis, *quam uulgus uocat* De la gaulde: & *phlomos,* Des flãbeaulx: & *geniſtæ,* Des genets. *ſed* Iſatis, *quæ & glaſton dicitur, fullonibus utilis eſt ad pannum lu-*

teum inficiendum, qui & croceus uocatur. unde crocota uestis dicta Nonio, à croco, ut opinor, quæ eadem à Græcis κροκωτὸς καὶ κροκώτιον dicitur: hoc est, crocota & crocotula, quæ inter muliebria annumerantur. Item infectores à Plauto dicti crocotularij. Quod autem Ouidius crocum rubrum appellet,

Nec fuerant rubri cognita signa croci,

id sanè intelligi potest, propter croci superficiem & colorem externum, qui oculis quidem ruber, sed dum aqua delibutus est, & madefactus, luteus apparet.

Ostrinus color, Fleur de pescher, qui & muricinus, à sanguinis uel succi ostreorum quorundã similitudine. Hinc ostrinæ uestes Nonio dicuntur subrubræ, quas tinctas muricæ dixit Virgilius: quemadmodum & alio loco purpureum, ostrum uocauit: parum enim differunt inter se purpura & ostrum. Ostrinum colorem uidetur subnunium appellare Plautus in Epidico: Aut crocotulam, supparum, & subminiam ricam. Quam riculam ostrinam appellat Turpilius: Interea aspexit uirginem uectari, in capite riculam indutam ostrinã.

Purpureus color in uestimentis laudatissimus antiquus fuit, cuius authorem fuisse ferunt Herculem: à purpuræ piscis succo, quo lanæ infici solent. Purpuræ autem usus nobis est ignotus, quod & affirmat Budæus in libro de Asse. Romæ uerò purpuræ usum semper fuisse testatur Plinius. Purpuræ autem appellatione omnis generis purpuram contineri puto. Itaque uel ex Plinio constat buccinum & conchylium & muricem inter purpuræ genera annumerari. Quin etiam fuit Romæ purpura uiolacea, cuius libram denariis cẽtũ uenisse Cornelius Nepos affirmat. Fuit & alia in-

signis purpura, quæ à Tyro *insula* Tyrium *appellata est: & est omnium longè præstantissima. unde* Tyriæ *uestes ab* Ouidio *dictæ, quæ eædem à* Iuuenale Sarranæ *appellatæ sunt*. Tyrus *enim etiam* Sarra *appellabatur*. Tyriam *autem uestem uel purpuream, uel etiam* Megalensem *purpuram, intelligo trabeam fuisse, uel togam pictam*. Et *quia antiquæ mulierculæ decoris gratia, purpura genas oblinire solebant, quemadmodum passim nunc solent in* Italia: *ideo purpurissatas buccas uocat* Plautus, Fardees, *in* Truculẽto: Quæ *istas buccas tam bellè purpurissatas habes*.

Amethystinus *color, amethystum lapillum pretiosum referens, quem purpureum uocat* Ouidius: & Plinius Indicos Amethystos *purpuræ colorem referre dit*. Itaque *uestimenta purpura infecta, eo temperamento, ut eius lapilli colorẽ reddant, amethystina dicẽtur*. & Amethystinatum *uocat* Martialis, *huiuscemodi purpura indutum*. Quòd *si colori* Amethystino Tyriũ *quoque superaddatur, fiet color mixtus, qui* Tyriamethystus *à* Plinio *dicitur*.

Succedit Dibapha Tyria, *hoc est, lana uel purpura* Tyria *bis tincta, ex etymo*.

Coccineus *color idem ferè cum purpureo: tingebantur enim uestes grano quodam purpureo, quod à* Dioscoride κόκκος βαφικὴ, *hoc est granum tinctorium dicitur*. Hinc *coccina uestis*. Martialis,

Coccina *famosæ donas & ianthina mœchæ*.

Ianthinus *autem color, ut obiter etiam illud dicam, dicitur uiolaceus, cuiusmodi est color illius uiolæ quæ primo & nouo uere ubique oritur, quam nos uiolam* Martiam, Dioscorides Ion *appellat*. *unde* Ianthina *ue-*

ſtis dicta, quam uiolaceam uulgus uocat.

Molochinus color, Gris violant, *in ueſte ſimilis flori maluæ, cuius infectores dicuntur* Molochinarij *à* Plauto *in* Aulul.

Ferrugineus *color, ferro ardenti haud abſimilis, ut quidam putauere, qui & hyacinthinus* Virgilio: *ait enim* Ferrugineos *hyacinthos.* Ex Nonio.

Caſtaneus, Tanné: *ſublata enim tantùm prima ſyllaba, nomen accepimus.* E*ſt autem hic color corticis excertæ caſtaneæ, & paululum aſſeruatæ ſimilis.* Q*uem quia ſæpe induerat* Galliarum *rex, ideo à* Gallis *regius dictus eſt.*

Color *uiridis*, Verd, C*uiuſmodi ſunt herbarum atque arborum folia.* Hic *& à* Græcis *glaucus dicitur, unde* Pallas *ab* Homero γλαυκῶπις *dicta, hoc eſt, glaucos & ſubuirides oculos habens. qui color in oculis, antiquis* Græcis *pro pulcherrimo habebatur: quemadmodum nos quoque cæſios & cæruleos oculos laudamus, cùm* Romani *nigros magis probent.*

Cæſius color, cæleſtis, quẽ Indum *quidam uocant & clarũ.* H*inc* Pallas *à* Latinis *cæſia dicta à colore cæli, quaſi cælia, ut inquit* P. Nigidius. *unde* Cæſarem *dictum quidam putant.*

Cæruleus color quaſi cæluleus, Couleur d'azur. Itali *turquinum uocant: ſerenum enim cùm eſt cælum, hunc colorem referre uidetur.*

Corn*eus color, qui cornu ſimilitudinem refert.* Plin. *lib.* 36. *cap.* 8. *Vitia uerò in iis corneus color, aut candidus, & quicquid ſimile uitro eſt.*

Cy*matilis color, qualis undæ marinæ eſſe ſolet:* κῦμα *enim* Græcis *fluctus eſt.* Ouid. Hic *undas imitatur,*

habet quoque nomen ab undis. Idem & color Venetus, & blauus color, & cæruleus quoque dicitur: cæruleũ enim mare & undas cæruleas dicit Virgilius multis in locis.

Leucopheus color, Gris, *quem nonnulli apud Italos religionis ergò sibi perpetuò gerendum proponunt, quos illi Beretineos uocant. Græci leucopheatos dicunt. Martialis libro primo ad Scæuontem,*

Amator ille tristium lacernarum,
Et beticatus, atque leucopheatus. *Quinetiam leucopheum pannum dicit Plinius lib. 32. cap. 10. de rubeta ad quartanas utili: Iecur, inquit, eius uel cor adalligatur in panno leucopheo.*

Cineritius color, Cẽdré, *quem cineraceum dicere uidetur Plinius lib. 33, Terra est alia rufa, alia cineracea. Idem & cinereus dicitur. Colum. lib. 2. cap. 2, Nullum enim temerè uidemus locum, qui modò pigrum contineat humorem, non eundẽ uel nigri uel cinerei coloris.*

Spumeus & maculosus à spumis & maculis, quibus tinctus & aspersus uidetur, qui animalium quorundam colores esse solent, ut equorum & lyncum apud Virgilium: quemadmodum pomulatos equos à pomorum similitudine quidam appellant.

Ruber color, Rouge. *Plato in Timæo refert rubrũ colorem, ex ipsa ignei radij ad humorem mistione sanguineum creante nominari. Quæ supersunt de coloribus, lector, ut prius dixi, ex Thylesio uideto.*

Summa rei vaſcula-riæ ex Lazaro Bayſio.

De vaſis ſignificatione.

INCIPIEMVS *ab ipſa uaſis ſignificatione, deinde uerò, ad uaſorũ appellationes ex eorum differẽtiis ac generibus petitas, certo ordine progrediemur. Sed ne quid lectorem lateat aut remoretur, admonendus eſt, ea tãtum* Bayſij *eſſe quæ* B. *literã ſubſignatã habebunt. Cætera ex uarijs authoribus quæſita: ne quid in hac parte ab adoleſcentulis deſiderari poſſit, quod ad uaſculorum genera pertinere exiſtimabunt.*

Vas, quod antiqui uaſum dixere, Vn vaiſſeau, *quo etiam nomine* Cato *&* Plautus *utuntur, id ſignificat quod uel liquorem, uel quidpiam aliud continet in uſum noſtrum: uel etiam quo liquorem aliquem haurimus, ſiue haurire ſignificet* Puyſer: *ut* Haurire *aquã ex puteo: ſiue quod uulgò dicitur,* Humer, ou avaller: *ut, -ille impiger hauſit*

Spumantem pateram. Il en aualla vne pleine taſſee, ſans ſe faire prier. *Ea uerò ratione primùm ab hominibus inuentum & excogitatum uas fuiſſe puto, ne manus uaſculorũ officio ſemper fungentes, identidem uarijs liquoribus inficerentur, dum interdum etiam impuriſſima quæque manibus tractanda ſunt. prætereà uſus & utilitatis gratia, alioqui diuturnum ignis ca-*

lorem manus perferre cogerentur, & in profundissimas lacunas demitti: siquidem uasorum usum semper præbere illis necesse esset.

V*asculum,* Vn vaissellet, vn petit vaisseau, *uasis diminutiuum, quo non solũ ad diminutionem significandam utimur, sed etiam ad ornatum. Græci autem* πύχη καὶ χύματα *uocant, quæ nos uasa & uascula dicimus.*

V*asarium dicere possumus ex* Cicerone, Vn buffet, *quod Itali appellant* Vna credenza, *nempe uasariam supellectilem & gazam ac diuitias aureas & argenteas, quas principes nostri in uariis uasorum cælaturis collocare solent: ut nostro tempore tum demum opulentissimus habeatur princeps, cuius mensa innumeris uasorum diuitijs scatet.* Budæus *exactissimi ingenij uir, & iudicij admodum expurgati, tertio libro de* Asse, *uasarium apud Ciceronem pro lege* Manilia *accipi contendit, pro ijs quæ antiquitus publicè dabantur magistratibus, ut sunt muli, equi, uasa, & reliqua quæ magistratus instrumentum implerent. quod probat ex alio eiusdem authoris loco, pro lege* Agraria. I*ntelligimus præterea uasarij nomine pecuniam publicè dari solitam magistratibus euntibus in prouincias, ex qua sibi necessaria compararent, quod* Augusti *tempore* Senatusconsulto *constitutum est.* Vide Budæum.

V*ascularius, qui uascula argentea & aurea facit.* Sunt *enim inter aurifices, uascularij, cælatores, inauratores, & bractearij,* Des orbateurs: *id est, qui aurum malleis tusum, & ad quamuis leuitatem ductile rebus inaurandis induunt.* Budæus.

Vaſculorum autem & poculorum ſculpendorum ars à Græcis Toreuticæ dicta eſt, à uerbo τορεύω, quod eſt torno conficio. Tornus autem, fabrile inſtrumentum eſt, quod uulgus uocat Vn tournoir. *Itaque toreuticæ ſculpturam, uel, ut aliqui loquuntur, ſcalpturam complectetur. Vnde Toreumata huiuſmodi opera dicuntur, aut ſculpta, aut cælata, ex quacunque materia quæ in deliciis habeatur: quo uerbo Cicero, Salluſtius, & reliqui utuntur. Martialis,*

Solus Phydiaci toreuma cæli,
Solus Mentoreos habes labores.

Quòd autem toreumata torno fierent, & ex quacunque materia, id oſtendere uidetur locus Virgilij tertia Ecloga, -pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis,
Lenta quibus torno facili ſuperaddita uitis.

Cælum enim, Vn burin, *ferrum eſt ſculptorium, & inſtrumentum cælatoris. A quo cælata uaſa dicũtur, in quibus arte ſculptoria deſcripta erant inſignia quædã opera.* Vaiſſeaulx ouurez, entaillez, labourez d'orfeurerie. *Plin. lib. 34. cap. 7, Duo pocula Calamidis manu cælata æmulatus eſt, ut uix ulla differẽtia eſſet artis. De Zenodoro loquitur, ſcientia fingendi cælandique nulli ueterum poſtpoſito. Budæus tertio de Aſſe, Magnificam æſtimatricem cælaturæ priſcam ætatem fuiſſe oportet, quæ uaſa cælata in ſingulas libras ſenis ſeſtertiis emeret, id eſt, centenis & quinquagenis aureis noſtris. Mirum autem eſt in auro cælando inclaruiſſe neminem: argento, multos. qua in arte maximè laudatus eſt Mentor, de quo ſuprà diximus: unde labores Mentoreos uocat Martialis. At*

uerò argentum apud antiquos, hominum ſermone celebratius fuit.

De variis vaſorũ appellationibus.

VAſorum appellationes uariæ, aliæ quidem à materia ſumuntur ex qua conflata & confecta ſunt: ut aurea, argentea, ærea, lignea, fictilia, uitrea, cryſtallina, murrhina. aliæ uerò ab uſu & utilitate quá præſtant, ut à potu potoria. aliæ autem ab ijs rebus, quas continere ſolent, nomina accipiunt, ut ab eſcis eſcaria, à uino uinaria, item & aquaria & niuaria, & ab unguentis unguentaria: ſic etiam à promulſide, promulſidiaria. aliæ inſuper à forma quam referre uidẽtur, ut à modij ſimilitudine, modiolus: & à cymbæ forma, uaſa cymbia. aliæ præterea à quibuſdam locis in quibus præſtantiora uaſa fiunt, uel è quibus materia adfertur excellentior ad ea conficienda, ut à Delo & ære Deliaco, uaſa Deliaca: à Corintho & ære Corinthio, uaſa Corinthia: eadem quoque ratione Samia & Aretina. Quas omnes differentias, unà cum ipſis uaſorum nominibus ſuo ordine deſcribemus. Ac primùm ipſarum differentiarum genera exequi neceſſe eſt, priuſquam ad ſpecierum diuiſionem ac declarationem deſcendamus.

Vaſa aurea.

RAram auri mentionem apud antiquos reperiri, & rariorem etiam quàm pro noſtri temporis opulentia, quemadmodum in auro cælando inclaruiſ-

se paucos, aut neminem, contendit noster Budæus *lib.3. de* Asse. *Itaque uasis aureis raro usos fuisse ipsos ueteres compertum est: magis enim argento delectabantur.* Sed *postcaquam, inquit* Plinius *lib. 33. cap. 11,* Asia *primùm deuicta, luxuria in* Italiam *immissa est, aurum magno in pretio haberi cœpit.* Siquidem L. Scipio *in triumpho transtulit uasorum aureorum pondo* C. *millia.*

Poculum *aureũ*, Vne couppe d'or. Plinius *scribit* Philippum *regem poculo aureo puluino subdito dormire solitum.* Cic. *in* Verrem, T*um illa ex patellis & thuribulis quæ uellerat, ita scitè in aureis poculis illigabat: ita aptè in scyphis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata esse diceres.* Que tu eusses dict qu'ils eussent esté faicts touts propres a cela.

Patera *aurea*, Vne tasse d'or. Virgilius,

- ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

Hoc *est, hausit plenam pateram auream uini.* Il beut tant qu'vne grande tasse pouuoit tenir.

Aureus *guttus, apud* Liuium, Argenteo *pollubro, & aureo gutto.*

Aureis *præterea uasis uentris onus excipiebant ditiores antiqui, quod de* Heliogabalo *refert* Lampridius. Martial. *in* Bassum,

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro
Basse, *bibis uitro.* B. Cætera *in uasorũ speciebus dicemus.*

Vaſa cælata.

VAſa cælata, Vaiſſeaulx entaillez, *in quibus uaſculariorum & cælatorum artificio inſculpebãtur uaria ſigna & ſimulachra deorum.* Plin. *lib.* 33. *cap.*12, Vlyſſes & Diomedes *erant in emblemate phialæ.* Emblema *autem, ut illud obiter tangamus, ætas noſtra non nouit: fitque quum interraſo, ut inquit* Plinius, *ligno uel marmore, aliud quiddam uel aurum uel argentum uermiculato opere eleganter conſeritur, & aptatur ad uariarum rerum effigies.* Ita *quoque ornabantur uaſa emblematis, dictis* ἀπὸ τοῦ ἐμβεβλῆσθαι, *quòd uaſis adiicerentur & reuellerentur, cùm libitum erat.* Hinc *eſt quod* Cicero Verrem *criminatur, qui uaſorum* Haluntini *emblemata reuulſerat, atque adeò pretioſiſſimam eorum partẽ & toreumata abſterſerat impudentiſſimo latrocinij genere.* Sicque, *inquit* Cicero, Halũtini *excuſſis delicijs cum argento puro domum reuertuntur.* Itaque *emblema, inſertum & inſitum quid in æreo aut argẽteo uaſe ſignificat, quod pro ornatu temporario & exemptili ponitur: uulgus paramentum uocat.* Videto *diligenter* Budæum & Bayſium.

Illigabantur *& aureis cruſtis uaſa argentea & cymbia & alia, quæ incruſtata uel cruſtata dicere poſſumus,* Eſmaillez: *atque ab eiuſmodi cruſtis, cruſtularij dicti, quorum artificio uaſa cruſtulis illigabãtur. unde & incruſtare dicimus.* Horatius,

Syncerum *cupimus uas incruſtare.* Cæterum *uaſa aureis cruſtis illigata,* Martialis *in ſexto uocat chryſendeta. dicuntur & lances chryſendetæ ab eodem in*

apophoretis.

Sigillata quoque uasa dicebantur, sigillis quibusdam ornata. Autour desquels estoyent de petites images enleuees en bosse, unde scyphi sigillati apud Ciceronem in Verrem. Signa autem siue sigilla Graeci ἀγάλματα & ἀγαλμάτια dicunt, súntque ueluti simulachra uel deorum uel etiam herouum aut animalium quibus circunquaque uasa exornari solebant, Graeci εἴδη θεῶν uocant. unde Virgilius,

Cymbiáque argento perfecta atq; aspera signis. Cymbia signis aspera dixit, hoc est sigillata. Idem alio loco, Cratera impressum signis. hoc est, inquit Seruius, impressa signa habẽtem, id est emblemata. Caeterum signa illa ab excellentia nomen accipiebant, ut signa Corinthia, hoc est, quae in Corintho fiebant. Plin. lib. 34. cap. 8, Signis quae uocant Corinthia plerique intãtum capiuntur, ut secum circunferant. paulò pòst autem ait, Minoribus simulachris signísque innumera propè artificum multitudo nobilitata est.

Vasa autẽ pura dixit iureconsultus, atq; adeò ipse Cicero, pro ijs uasis quae caelata non sunt, neq; ullis ornamẽtis decora, quae uulgus uocat A plain ouurage.

Vasa ἀνάγλυφα, Grossemẽt entaillez, uocat ea Plinius lib. 33. cap. 11, quae rudia sunt, & in asperitatem excisa ac caelata: hoc est, non laeuia, & caelaturis inaequalibus imminentibúsq; incisa: ab ἀνὰ καὶ γλύφω. Deinde uerò ait Plinius, circa linearum picturas, uasa anaglypha curiosius fieri solere. quod intelligẽdum uidetur de ijs uasis, quae per commissuras, lineas aureas uel argenteas habent: ut idẽ author interpretatur. Rudia illa uasa uulgus uocat, Faicts a la grosse mode.

Quod superest de cælaturis, ex priori capite repetito: tantùm enim hîc ordinem obseruamus.

Vasa argentea.

V*Asa argentea*, Vaisselle d'argent, *in usu frequẽtiori erant apud antiquos, quàm aurea. Vilius enim argentum est auro, ut inquit* Horatius. *Fiebant autem multis modis. Quinetiam uasa argento circunclusa ab labris dixit* Iulius Cæsar 6. belli Gallici: *Hæc, inquit, studiose acquisita ab labris argento circuncludunt, atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur.*

Scyphus argenteus, Vne couppe d'argent. *Plinius refert* Lucium Crassum *duos scyphos argenteos habuisse*, Mentoris *artificis manu cælatos: confessúsque est nunquam se iis uti propter uerecundiam ausum. erant enim centum sestertiorũ pondo: quemadmodum eundem sex millibus sestertium in singulas libras uasa empta habuisse refert idem* Plinius. *Sed de scyphis uberius in uasis uinariis & potoriis ac poculis dicemus. Cæterum primus* Heliogabalus, *si* Lampridio *credimus, caccabos argenteos, & mensas ac capsas argenteas, priuato usu habuit.*

Lanx *argenteus*, Plat d'argent. *Lances centenis libris argenti quingentas numero* Romæ *fuisse constat ex* Plinio: *multósque ob eas conscriptos dolo concupiscentium.* De Lancibus *autem dicemus suo loco, cùm de escariis uasis agemus.*

Solium argenteum, Vne cuue a soy lauer. *Mulieres, inquit* Plinius, *in balneis soliis argenteis utebantur ad luxum. Quemadmodum etiam scaphiis argenteis,*

quæ uaſa erant ad lotium excipiendũ dedicata, quibus etiam argenteis utuntur hodie uiri Galliarum *primarij.*

Repoſitoriis *argentum addi ſua memoria cœptum referre* Feneſtellã *ait* Plinius *lib.* 33. *cap.* 11. *Itaque huiuſcemodi repoſitoria argentata, non argentea uocabimus: nempe emblematis argenteis ornata & illigata, de quibus infrà dicemus. Quinetiam idem* Plinius *refert,* Caluum *oratorem ſuo tempore queri, quòd uaſa etiam coquinaria ex argento fierent: ita enim loquitur. Cæterum pateram argenteam, & pocula argentea, & crateras argenteos pro cælaturæ atque operis forma dicere poſſumus: quæ omnia uaſorum genera ſuo ordine à nobis explicabuntur.*

Vaſa ænea.

V*Aſa ænea ſiue ærea* Plinio, & Virgilio *ahena,* Vaiſſelle d'arain ou de cuyure, *ab æris nobilitate & excellẽtia nomen accepertũ. Adde quòd ahena abſolutè pro cacabis æreis accipiuntur, in quibus aqua igni admouetur ut caleſiat,* Vn chauldron. Virgilius,

Aut foliis undam tepidi deſpumat aheni. Horat.

Sub *noctem gelidam lignis calefactat ahenum.* AE*ris autem tres à* Plinio *ſpecies potiſſimum enumerantur:* Corinthium, *à quo uaſa* Corinthia, *apud* Ciceronem *quarta actione in* Verrem: Deliacum, *à quo uaſa* Deliaca, *apud* Ciceronem *pro* Sextio: & AEgineticum. Sed *omnium præſtantiſſimum eſſe puto* Corinthium. *nam æris notam pretioſiorem ipſa opulentiſſimæ urbis fecit iniuria: quia incendio peruſtis pluri-*

mis statuis atque simulachris, æris, auri, argentique uenæ in commune fluxere. Fuit etiamnum antiquissima gloria æris Deliaci. *Vnde* Deliaca *supellex à Cicerone dicta,* Mesnaige d'arain, *in qua erant triclinia & lecti, cum pedibus & fulcris ex* ære *Deliaco factis.* Va*sa autem* Corinthia Strabo *in octauo* χαλκώματα κορινθιουργῆ *appellare uidetur.* B. *Plinius lib.34.cap.2,* Sunt *ergo uasa tantùm* Corinthia, *quæ isti elegantiores nunc æs sculpendo transferunt: modò in lucernas, modò in trullas, nullo munditiarum respectu. Quinetiam* Cicero *in* Paradoxis *matellionem* Corinthium *dixit, æ*re Corinthio *factum*. *Itaque ex* Plinio *lucernæ, lychni & lampades* ex *æ*re *fiebant: sed non usqueadeò puro, nisi propter luxum: nam qui lucernis* Corinthiis *utebantur, præter communem utendi rationem faciebant: ægineticum enim æs, ut idem inquit, lychnuchis, candelabris, & huiusmodi uasis ignobilioribus conflandis dedicabatur: de quibus suo ordine dicemus.* Fuit *& æs* Cyprium *laudatissimum apud antiquos, unde fortassis nos cuprum uocamus pro æ*re Cyprio. *Plinius*, Teritur Cyprio *æ*re *in* Cypriis *mortariis.* Mortiers de cuyure. *Quinetiam* Cyprium *absolutè pro cupro, quod uocamus, posuit* Plinius *libro 36.cap.26.*

Labris quoque ahenis utebantur antiqui in balneis, Vne tine de cuyure, *quibus nũc quoque Germanicæ mulieres etiam utuntur ad abluendos quibuslibet octonis diebus infantulos suos: & nos quoque æstiuo tempore labris ahenis frigida oppletis uinaria uasa reponimus, dum cœnatur.* Virgilius,

Sicut aquæ tremulum, labris ubi lumen ahenis

Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ.

Vasa conflatilia, Vaisseaulx de fonte. *Conflantur enim uasa ærea delicatiora & sonora apud antiquos: quæ in theatris reponi solebant pro ratione magnitudinis theatri: eáque ita fabricata erant, ut cùm tangerentur ab ipsa uoce, sonitum facerent inter se diapason, diapente, ex ordine ad diatessaron.* Vitruuius *lib. 5. cap. 5*, *Itaque uox à scena uti à centro profusa, se circunagens, tactúmque feriens, per singulorum uasorum caua excitabat auctam claritatem, & concentu conuenientem sibi consonantiam.* Nihil *enim est in omnibus metallis quod sono & harmoniæ ac uoci aptius sit, quàm ipsius æris materia.* Hinc *est quòd tubæ bellicæ æreæ potissimú factæ sunt, ut etiam* Virgilius *æs pro tubis ponat:*

-quo non præstantior alter

Aere ciere uiros. hoc est tuba. Dicerem *hoc loco quēadmodum æs pro pecunia apud antiquos sumi solebat: quoniam primùm ærea pecunia fieret.* Sed *uereor ne illud esset aprosdionysum: quapropter satius est ad reliquas uasorum differentias transire.*

Vasa stannea.

V*Asa stannea*, Vaisselle d'estain, *antiquis in usu non fuisse reperio.* Quinetiam *non ita pridem apud* Italos *commigrauit hic uasorum usus, ut culinaria uasa, stannea fierent: neque uerò adhuc hodie omnibus communis est. fictilibus enim & uitreis potius utuntur quidam.* Gallis *uerò iampridem hic usus inoleuit: quo & rei domesticæ & sumptibus parcitur.*

De ſtanno autem tantùm hoc refert Plinius, Stannum illitum æneis uaſis, ſaporem gratiorem facere (quapropter uulgus quoque noſtrum ollas iuſculárias, Pots a ſouppe, *ſtanno illinit) item & compeſcere æruginis uirus. Vnde hydrias & uaſa aquaria, ſi quidem ænea ſint, ſtanno intus illinimus: mirúmque eſt ſtannum æri illitum, pondus non augere. Fiebant quoque apud antiquos ſpecula ex ſtanno laudatiſſima, quæ Brunduſij temperabãtur, donec argenteis uti cœpere & ancillæ. Plin. lib. 34. Stannum præterea Homerus uocat Caſſiteron Iliados 6. Vnde Caſſiterina uaſa eleganter dicere poterimus, pro ſtanneis.*

Vaſa plumbea.

PLumbi uſus ad uaſa infrequens fuit apud antiquos, ut etiam apud nos quoque, propter metalli pondus & utilitatem. Cæterum uaſis plumbeis tantùm utimur ad odores conſeruandos, & unguenta atque alia quæuis liquida pretioſiſſima. Itaque capræ illius ſylueſtris excrementum uſqueadeò odoratum, quod moſchum uocant pharmacopolæ, in pyxidibus plumbeis reponere ſolent: & diu admodum incorruptum ſeruare. Præterea Regum corpora capſis & ſarcophagis plumbeis, uncta, & aromatibus illita Galli humi recondere ſolent: ſua enim denſitate prohibet plumbũ, ne odor internus effluat & diſſipetur, néue externus aer illabatur: quæ ratio eſt cur corpora imputria diu ſeruantur. Sed nunc locus non eſt ut de plumbo plura dicamus: huius autem rei qui plura deſiderabit, requirat apud Plinium lib. 34, ubi de argento plũ-

bato & replumbato loquitur : nempe dum plumbum ab eo auellitur, & argentum purum relinquitur. praeterea etiam de plumbatione uel potius plumbatura, hoc est, quando plumbo massa massae iungitur, ita ut iunctura plumbea cohaereat, quemadmodum fit & ferruminatio.

Vasa lignea.

V*Asa lignea,* Vaisseaulx de bois, *multis modis, uarijsque lignorum materijs, apud ueteres fiebant, quemadmodum nunc quoque fiunt. fuit enim fagi honos praecipuus in uasis,* Du fau, ou du hestre, *propter eius lentorem plicabilem: fiebántque ex fago pocula elegantissima tornata, & arte toreutica caelata. Virgil. -pocula ponam*

Fagina, caelatum diuini opus Alcimedontis.

Cuiusmodi fortassis sunt ea pocula quae ex aede D. Claudio sacra adferuntur. Caeterū memini me legisse M. Curium iurasse se ex praeda nihil attulisse praeter guttum faginum quo sacrificaret. faginum praeterea cantharum describit Stroza pater, -hinc faginus illi Cātharus effundit glocitanti pocula collo. Virgilius insuper buxum tornatile appellat, quòd eo fiebant unguentariae pyxides, & alia huiuscemodi toreumata, quae buxea uasa appellare possumus. Buxo etiam fiebant laudatissimae tibiae. Seneca, -tibi multifora tibia buxo Solenne canit. Betula item, Bouleau, *arbor est eximij cādoris qua fiunt circuli uasis uinariis idonei. Vtilis etiā est conficiēdis cistis & sportellis flexibili crate. eius ligno nostra aetas*

narij generis & usus quoque uasa cõficere solet: quæ (si quidem nobis liceat noua effingere uocabula) uasa betulina appellabimus, Vaisseaulx de bois blanc.

Vasa quoque hæderacea antiquis in honore maximo fuerunt, ea potissimum ratione, qua Plinius ait in uase hæderaceo unum transfundi, aquam remanere, si fortè cõmixta sit. Cuiusmodi fuit uas illud quod Homerus Cissimbium appellat (Græci enim κισσὸν hederam uocant) datúmque fuisse Cyclopi ab Vlysse scribit. Huius poculi Euripides & Callimachus apud Macrobium meminerunt. Fiebant etiamnum ex terebyntho calices excellẽtissimi, qui à nomine authoris θηρίκλειοι appellabãtur: quemadmodum Antigonides & Seleucides, quibus Antigonus Seleucúsque nomina indiderunt. Plinius. Celebratur & Thericles nomine, calices ex terebyntho solitus facere torno. B.

Vasa vitrea.

Vitreorum *uasorum usus quæ Græci ὑάλινα uocant, haud ita pridem inuentus est. Vitrum autem quando primum inuentum, & quomodo conflatum, Plinius recenset lib. 34. cap. 24. Neque uerò alienum fuerit uasa potoria, quæ ex uitro fiunt, unà cum uulgo uitra appellare: quemadmodum Martialis uasa crystallina, crystalla appellat. Itaque si quidem uitrea uasorũ materies ex silice conflata fuerit, uitra silicea siue silicina appellabimus: si uerò lapidibus ustis, ut ferè fit, uitra erunt lapidea, atque in hoc communem loquendi usum non aspernabimur.*

Vasa uitrea excellentissima laudantur hodie ex

Murano oppido Venetiis proximo, in ipſo Adriatico mari.

Calices uitrei, uaſa erant potoria, quemadmodum etiam nobis, quorum formam imitantur ſacroſancti illi calices, quibus noſtri ſeniores in ſacrificiis diuinis utuntur. Vulgus uocat Vn calice. *Quod autem calicibus biberent antiqui, id oſtendit locus Horatij,*

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Cæterum calices uitrei à Græcis uerbum è uerbo κύλικες ὑάλινοι *dicuntur, authore Iulio Polluce. Erat & Nimbus uitreus, cuius mentio multa apud Martialem.*

Vaſa cryſtallina.

CRyſtallum fieri aiunt gelu uehementiore concreto, argumento eſſe non alibi reperiri, quàm ubi hybernæ niues maximè rigent, glaciémque eſſe, unde nomen Græci dederunt.

Ex cryſtallo autem uas amphorale uſum eſt, authore Xenocrate.

Aſyntheta Plinius author eſt, uocari uaſa cryſtallina pura, ſine ulla macula & uitio: uitia enim artifices cælatura occultant. Iuuenalis, Grãdia ponuntur cryſtallina. De poculis intelligit, quæ ex cryſtallo fieri ſolebant. Martialis in 3,

Opimianum morionibus nectar

Cryſtalliníſque, murrhiníſque propinat.

Idem in decimo, cryſtalla pro cryſtallinis uaſis dixit. Plura qui uolet, requirat ex Plinio.

Vasa murrhina.

Murrhina pocula antiquis laudatissima fuerunt, quemadmodum crystallina: refertque ea Plinius ex Oriente mitti: inueniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignioribus Parthici regni, præcipuè tamen in Carmania. amplitudine nusquam paruos excedunt abacos, crassitudine rara, quanta uasi potorio esse debet. Humorem putant sub terra calore densari. Quod autem in murrhinis magis laudatur, est ipsa colorum uarietas, subinde circunagentibus se maculis purpureis & rubescentibus, lacteis, quas maculas uidere est in illo pisce qui murrhena dicitur: unde murrhina uasa dicta crediderim. B.

Murrhina uasa ætas nostra non nouit: tantùm hoc memini, me audisse Venetiis quædam uascula quæ ex Oriente adferri solere audiebamus: aiebántque nescio quot annos in penitioribus terræ locis asseruari solere, priusquam exerantur donec pelluceant. atque ob id uenenum nunquam admittere, uulgus porcellanam uocat. ob id fortassis, quòd ex eo puluere, quē Plinius puteolanum uocat, quique in aqua indurescit ac lapidescit, efficta erant, ut dicantur quasi puteolana, ab Italis. Sed nihil huius rei compertum est nobis præter diuinationem. Murrhinum autem quid sit, nescio an rectè conficere poterimus eum esse lapidem pretiosum, quem uulgus uasculariorum uocat aquam marinam. accedit enim ad descriptionem Plinij, quam de murrhino conscripsit. Cæterum illud tantum addam, uasa murrhina apud antiquos summo in pretio fuisse. hinc ait Tranquillus Augustum ex Alexandria ca-

pta nihil sibi præter unum murrhinum calicem ex instrumento regio retinuisse. De his *autem uideto* Plinium.

Vasa lapidea.

Fiebant & apud antiquos uasa lapidea, in multos usus, & ex delicatissimus potissimum lapidibus, ac marmoribus pretiosis: qualia erant quæ ex onyche marmore Arabiæ *pretiosissimo fiebãt: ut uasa potoria apud* Germanos *primùm onychina facta refert* Plinius.*deinde pedes lectorum & sellas ex eodem marmore cœptas fieri dicit.* Cornelius Nepos *tradit magno fuisse miraculo, cùm* P. Lentulus Spinter *amphoras ex onychino marmore, & urceos onychinos magnitudine cadorum ostendisset.* Est *& præter hunc alter quoque pretiosus onyx, quem cornalinam uocat uulgus.*Vide Plinium. Dictus *onyx, quòd formam unguis humani habere uideatur.*

Quinetiam *labra ex* Porphyritide *ab antiquis fieri solere ostendunt antiqua illa monumenta, quæ adhuc hodie* Romæ *uisuntur, præsertim circa ædem* D. Iohãnis *in* Laterano. *súntque eius propemodum formæ ac coloris, cuius est uas illud marmoreum quod hodie in* Dionysiana *uisitur, cupam* Diocletiani *uulgus appellat.* Ego *uerò labrum antiquum fuisse existimauerim.* Erat *autem labrum, uas balnearium, quemadmodum & solium.* Cic. Terentiæ, *Labrũ si in balneo non est, fac ut sit.* Vne tinne. *Inde labellum,* Vne tinnette. Plin. *Cinerémque in labellis, aqua addita, confricãt manu, & considere patiuntur.* Labra quo-

que uinaria, lupinaria & olearia Catoni, *in quibus lupini conduntur, & in quæ uina è lacu, oleum è cortina transferuntur*. Fiunt quoque apud nos mortaria lapidea, in quibus uaria aromata contundimus. Hũc præterea, inquit Plinius, *alabastriten lapidẽ uocant, qui excauatur ad uasa unguentaria, quoniam optimè ea incorrupta seruare dicitur*, De l'alebastre. *Itaq; uasa alabastrina dicemus ea quæ ex alabastrite lapide fiunt*, Vaisseau d'alebastre: *qualia uidimus torno eleganter fieri* Florentiæ *ad antiquum morem excauata & efformata*. ἀλάβαστρον *autem* Pollux *uas unguẽtarium appellat, quod à nobis alabastrum siue alabaster dici poterit, cuius uasis fit mentio in* Euangelio, *de* Magdalene *quæ effudit alabastrum unguẽti nardi pisticæ pretiosi*. Alabastrum *quoque pro alabastrite lapide sumere uidetur* Plinius *lib.37.cap.8*. Recentissimi *authores & circa* Thebaidis *oppidum alabastrum nasci dicunt*.

Vasa fictilia.

Vasa fictilia, omnium uilissima habebantur, fiebántque ex argilla potissimum, aut alio quouis luto præpingui, Pots de terre. *quorum uasorum efformatores & effictores à fingendo figuli appellati sunt*, Potiers de terre. H*inc* Ausonius *de* Agathocle,

-rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.

De *quo etiam illud à* Iuuenale *refertur, eundem regem fictilibus in mensa uasis usum fuisse:*

Fama *est fictilibus cœnasse* Agathoclea *regem.*

Fictilia autem erant potissimum uasa aquaria, ut urcei, hydriæ: præterea etiam culinaria quædam, ut ollæ, lances, catini, & alia huiuscemodi: de quibus tempus est ut seorsim dicamus: Si prius illud explicauerimus, uasorum fictilium præstantiora haberi solere Samia & Aretina: hoc est, quæ in Samo insula & Aretio urbe Cãpaniæ fiebant. Plautus in Capt. Ad rem diuinam quibus est opus, uasis Samiis utitur. quemadmodum uulgus Italorum Maiorica uasa appellat, quæ in altera ex insulis Balearibus fiunt, quam uulgus Maioricam appellare solet. Itidem & nos eadem ratione uasa Bellouaca dicemus, Pots de beauuays.

DE ALIIS VASORVM DIFferentiis quæ ex eorum vsu sumi solent: itémque de variis eorundem nominibus.

Explicatis uasorum differentiis generalioribus, æquum est ut ad ipsas species descendamus, quæ & eorum nomina, & utilitates ipsas complectuntur. Itaque primùm de escariis uasis dicendum: deinde uerò de potoriis, uinariis, aquariis, niuariis, & huiuscemodi omnibus agemus suo ordine.

Vasa escaria.

Vasa escaria, in quibus escæ, hoc est edulia & mẽsæ reponebantur aut deferebantur ipsis conuiuis: quorum nomina seorsim à nobis recensenda sunt.

Vasa promulsidiaria dicebantur ea quibus promulsidem apponebāt. Est autem promulsis, quod uice mulsi (uulgus uocat Du claré*) dabatur conuiuis, ad prouocādam auiditatem cibi:* Entree de table. *Huiusmodi fortassis erant artolagani,* gateaulx fueilletez: *oleæ,* des oliues: *& lucanica*, des saulcisses. Cicero *Papyrio Pæto, Neque est quod in promulside spei ponas aliquid, quam totam sustuli: solebam enim antea delectari oleis & lucanicis tuis.* B.

Lanx, Vn plat, *uariæ formæ erat, quemadmodum apud nos quoque esse solet. Lāces enim aliæ latæ (unde platum à latitudine uulgus appellauit) aliæ cauæ. Iuuen. Et leues scutulas, cauásque lances. Aliæ item maximæ, mediæ, & minimæ, ut inquit iurecons. Præterea erant aliæ quadratæ, ut apud eundem iureconsul. aliæ rotundæ.* Horatius,

Vmber, & iligna nutritus lance, rotundas
Curuet aper lances, carnem uitantis inertem.

Itaque lanx à latitudine dicta est: apta quidē dapibus & escis reponendis. unde Iuuenalis,

Aspice quàm magno distendat pectore lancem. B.

(Ea etiamnum utebantur in sacrificiis deorum, in quibus exta animalium sacrificatorum reponebātur. Virgilius 2. Georg.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.)

Lances chrysendetas uocare uidetur Martialis *in 2,*

Immodici tibi flaua tegunt chrysendeta muli.

Hoc est, lances aureis crustis illigatæ & exornatæ, de quibus suprà diximus. Lances autem τοὺς πίνακας *uocant Græci, atque adeò Athenæus &* Pollux. B.

Catinus, lance profundior erat, & à capiendo di-

ctus: Vn plat creux. *Itali adhuc uocant* Cadin. *Catinis autem utebantur Romani ad pullos reponendos & alia obsonia, ut hodie platis utimur.*

Horatius primo Sermonum,

Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus.

Pisces quoque catinis reponebant. Idem 2. Serm.

Angustóque uagos pisces urgere catino. *Qui pisces obsonij nomine ueneunt*: id *enim Graeci* ὀψάριον *uocant, ut colligere est ex* 21. *cap. Euang.* D. *Iohannis*. ὄψον *enim Graeci uocabant, quicquid piscium assabatur super carbones: inde obsonator qui pisces assandos emit. Catino autem fictili utebantur pauperiores*. *Idem* 1. *Serm.* -*asto diuinis, inde domum me*
Ad porri & ciceris refero, laganique catinum.

Quo loco inter Campanam supellectilem annumerare uidetur. À *catino diminutiuum Catillum. Idem eodem loco,*

-*mensáue catillum*
Euandri manibus tritum deiecit. B.

Fenestella, ut inquit Plinius, Tympana se iuuene dicit appellata patinas & lances, quas antiqui magidas appellauerant. μαγίδες *autem Graecum uocabulũ est, quo significantur mensae quae apponuntur & remouentur, authore Iulio Polluce.* B.

Ferculũ, uas ad ferendũ obsoniũ uel pulmentarium.

Patina utebantur antiqui ad coquendos pisces & caetera id genus. Plinius lib. 23. *de faece sapae*: *Decoquitur, inquit, in patinis cum sale & adipe, ad tumorem quoque maxillarũ & ceruicum, tum etiam ferculi uice. Et nisi me fallit opinio, eadem patina utebantur ad*

coquendum & ad ferendum obsoniuin, elixum præsertim. Horat. 2. Serm.

Affertur squillas inter muræna natantes
In patina porrecta.

A patina quoque Tripatinum dictum, de quo uideto Bayfium diligenter, ubi loca aliquot Plinij restituta animaduertes.

Patella quoque uas escarium, ad olerà & pulmenta ponenda. Horatius in epistola ad Torquatum lib. 1,

Nec modica cœnare times olus omne patella.

Iuuenalis in quinta,

Ponitur exigua feralis cœna patella.

Quibus uerbis palàm est patellam pro parua patina sumi, quæ ab istis tum modica, tum exigua dicitur. Iulius Pollux λεκανίδα uocat: Patellas enim uocãt Græci λεκάνας: sicut etiã κύκλοι apud illos dicuntur, quos nũc orbes & quadras dicimus, Des tailloirs, des assiettes.

Paropsis, quemadmodũ patina, tum pro uase escario, tum etiam pro uili obsonio & iure & etiam maza apud Pollucem & Athenæum ponitur. Iuuenalis,

-quàm multa magnáque paropside cœnat.

Erant autem argenteæ paropsides & fictiles.

Martialis in 11,

Cum portat gaudens ancilla paropside rubra
Halecem, sed quam protinus illa uoret.

Vide diligenter Bayfium.

Discus pro uase escario, Apuleio sumitur: Cœnarum reliquiis discus ornatus, nisi malimus cum Polluce pro orbibus sumi, quos ille κύκλους ἀργυροῦς, orbes argẽteos, uel χύματα ἀργυρᾶ, uel πίνακας uocat, in sexto. Erat item discus, massa plumbea ad formam orbicu-

larem facta, quam pugiles & palæstritæ siue athletæ in ludis gymnicis iaculabātur in sublime. Ouidius 10. Metamorph.

Splendescunt, latíque ineunt certamina disci.

Scutula, Vne escuelle, *Lance minor erat: quapropter inquit* Martialis, *Et leues scutulas, cauásque lāces.* ἀριστοφόρον *item* Græci *uocant uas in quo prādium defertur, quemadmodum* οἰνοφόρον, *amphoram.*

Gabatæ præterea erant uasa alia escaria & pulmentaria. Martialis,

Transcurrunt gabatæ, uolántque lances. Idem,

Sic implet gabatas, paropsidásque.

Vasa potoria, & pocula.

V*Asa potoria & pocula dicuntur in quibus bibimus, quæ uarias formas uariáque nomina acceperunt.* Fiebant *autem argentea, aurea, crystallina, & lignea, ut prius diximus.* Cicero *in* Verrem *Act.6,* In *his pocula duo, quædam quæ* Heraclea *nominantur,* Mentoris *manu summo artificio facta.* Poculum *interdum pro ipsa potione sumitur.* Virg.

Pocula siquando sæuæ infecere nouercæ.

A *poculo fit* Pocillū, *pro paruo poculo & uase.* Plaut.

Tecum unà postea, tecum aquæ pocilla potitet.

Pocula *clauis aureis suffixa* Homero *dicuntur, quæ uulgus pocula martellata uocat. quemadmodum refert* Plinius Agnonem Teium Alexandri *magni præfectum aureis clauis suffigere crepidas solitum fuisse.* De *clauis autem uideto in libello de* Re *uestiaria. aureos autem clauos* Athenæus χρυσοῖς ἥλοις *uocat.*

Scyphum, quem sciphum nonnulli scribunt, uel cyphum, Græci σκύφον *dicunt, &* σκύπφον, *ut docet* Athenæus *in* XI. Vne couppe. *Est autem uasculum potorium, ut cuique notum est.* Inter *scyphos laudantur in primis* Bœotii:*quibus* Hercules *primùm in expeditionibus usus est:deinde* Rhodiaci, *sequentibus* Syracusiis. Virgilius,

Et sacer impleuit dextram scyphus. Scypho *enim ueteres in conuiuiis & sacrificiis utebantur.*

Cyathis antiquos potus sui mensuram metiri solitos etiam inter epulas,ex eo coniicio, quòd serui quidam ad cyathos stare uel esse dicebantur,ut serui ad limina & pedes:hoc est,qui foribus præerant & pedibus excalciandis,dum cœnaturi essent domini. Hinc Cicero, *Seruum meum à pedibus tibi misi.* Quòd *autem cœnaturi uel discubituri soleas deponerent, ostendit locus* Martialis,

Depositus soleas, affertur protinus ingens

Inter lactucas,oxygarúmque liber. Cæterum *seruos à cyathis* Græci οἰνοχόους *dicunt: unde cyathus à quibusdam uocatur* οἰνοχόη, *quod uocabulum ab hauriendo & fundendo uinum deductum est.* Hoc *autem munere qui fungebantur, dicebantur* κυαθίζειν, *hoc est cyathissare: quo uerbo utitur* Plautus *in* Menæhmis, *Non scis quis ego sim,qui tibi sæpissime cyathisso? hoc est,cyatho uinum bibẽdum admetior: quod* Athenæus *dicit* κυάθῳ οἰνοχοῶ. Appellabantúrque *hi pincernæ, non omnino inepto uocabulo, nempe quod à* Græcis *deductũ fortassis putabitur:ut eum significet cui conuiuæ idẽtidem dicunt* πίνειν κίρνα: *id est, misce uinum, uel tempera uinum ut bibam.* Quod *munus apud an-*

tiquos nobilissimi iuuenes in publicis ac sacris conuiuijs obire solebant : quemadmodum Ganimedem in deorum conuiuijs fabulæ fecisse referunt , unde & deorum pincerna appellatus . Qui mos hodie quoque apud Italos & nobiliores quosdam Gallos obseruari solet, ut iuuenes quidam, aulicis dum ministrant potum, aperto capite, altera manu cyathum, altera phyalam aquariam tenentes, tantum aquæ uino misceant, quantum à conuiua expostulatur . Sed hæc omnia ex Budæo decerpta in libris de Asse : suus enim est unicuique honos tribuendus.

Patera, Vne tasse, *ab etymo dicta, quòd ampla sit, & pateat: fiebat autem utplurimum aurea uel argentea, aut nobilioris atque excellentioris alicuius metalli: erat enim principum ac regum poculum. Virgil. Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido.*

Calix, Vn calice, *aliud poculi genus, quod interdũ uitreum, interdum murrhinum fieri solebat. Martialis lib. 4, Prodat perspicuus ne duo uina calix.*

Illud porrò sciendum est calicem à probatissimis authoribus poni non solùm pro uase, sed pro ea tantũ uasis parte quæ humoris capax est . Quinetiam Plinius rosæ calicem dixit, eam partem quæ rosæ luteos apices in se recipiat & cõtineat. uide Bayfium diligenter. Calices etiam fictiles erant tum ad bibẽdum apti, tum etiam ad legumina reponenda. Ad bibendum autem calices fictiles factos fuisse, refert Plutarchus in libello de cohibenda iracundia, D. Claudium Cæsarem conuiuæ, qui pridie scyphum aureum surripuisse existimabatur, reuocato in diem posterũ, calicem fictilem apposuisse ad legumina reponenda . Ouid. libro 5. Fast.

Stant calices, minor inde fabas, olus alter habebat.

Modiolus, uas paruum, factum ad modij similitudinem, cuiusmodi ferè sunt ea quae gobeleta dicimus. Et Venetijs Latini uocabuli uestigia uulgò retinent: uocãt enim Mozol, quasi Modiol, propter affinitatẽ d, cum z.

Amphithetum, poculi genus, ita fictum, ut quauis ex parte positum staret, nullúmque certum haberet fundum. Hinc prouerbiũ in eum qui liberius & meracius potaret, Ex amphitheto bibisti.

Carchesium, uas potorium uel poculum, quo utebantur in sacrificijs: factum ad formam cuiusdam nauis quam Macrobius ait, tantummodo Graecis notam fuisse. Virg. - cape Maeonij carchesia Bacchi: Oceano libemus, ait.

Simpullum, uas fictile, quo in sacris prolibabant sacrificuli. Plinius lib. 35, ubi de plastice, In sacris quidem etiam inter has opes, non murrhinis crystallinísue, sed fictilibus prolibatur simpullis. Bayfius.

Capedines & fictiles urnulas pro simpullis posuit Cicero in Paradoxis: & in tertio de Natura deorum capedunculas appellat, quibus Numa Pompilius primus in sacris usus est. B. Capidulã autem M. Cato, uel Capim, genus poculi esse indicare uidetur, quòd ansatum erat, ut manu capi posset, unde nomen deductum puto.

Cululli, calices erant fictiles, quibus Pontifices uirginésq; Vestales in sacris utebantur. Horat. lib. 1. Carm.

- diues & aureis
Mercator exsiccet culullis Vina.

Idem in Arte,
Reges dicuntur multis urgere culullis.

Calathus sumitur quandoque pro poculo uel cali-

æ,quo in sacrificiis ueteres utebantur. Virgilius,

Vina nouum fundam calathis, Aruisia nectar.

Martial. in nono,

Expendit ueteres calathos, & si qua fuerunt
 Pocula, Mentorea nobilitata manu.

Cypellum à Græcis dicitur poculum ad interna proclinatum: uocatur & Amphicypellum, uelut undique introflexum.

Cymbium, poculum in modum cymbæ, hoc est, nauiculæ factum, cuiusmodi sunt thuris repositoria in nostris sacris. Fiebant autem interdum cymbia pretiosissima ex crysoprasio lapide uiridanti. Plinius libro 37. cap. 8, Præfertur his chrysoprasius porri succum & ipsa referente: Sed & paulum declinans à topasio in aurum. Huic & amplitudo ea est, ut cymbia etiam ex ea fiant: cylindri quidem celerrime. Quo ex loco, nescio an diuinare possimus cylindros, pocula etiam fuisse pretiosa ex huiusmodi lapidibus facta: sed nihil temere. Est & cymbium lactis quoque poculum. Virgilius,

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.

Guttus, poculum erat, quo in sacrificiis utebantur, quando guttatim liquorem aliquem inspergere uolebant: quemadmodũ uasa illa esse solẽt in quibus acetum recondimus, quæ angusti sunt admodũ oris. Plin. lib. 16. cap. 39, Manius Curius iurauit se ex præda nihil attigisse præter guttum faginum, quo sacrificaret. Gellius lib. 17, Guttum Samium imprudens, inanem, tanquam si esset oleum, affert.

Cantharus, proprium Liberi patris poculum: erat autem ansatum, ut coniicimus ex Virgilio, qualis esse

ſolet lagena. De Sileno:

Et grauis attrita pendebat cantharus anſa.

Cantharũ autem nomen eſſe nauigij oſtendit Macrobius ex Menandri *teſtimonio, ad cuius formam poculum* Bacchi *factum erat, noménque inde acceperat.*

Culigna Catoni, *uas potoriũ quo meſſores utebantur, atque in fœnogræco reponebant, ut bene oleret.* In *eo autem, tantùm unum reponebatur.*

Crater, crateris, Vn hanap. Virgilius,

Crateras magnos ſtatuunt, & uina coronant. Idem,

Crateráſque duos ſtatuam tibi pinguis olitu.

Pro cratere pſyctrem poſuiſſe uidetur Plutarchus *in uita* Alexandri, *de* Glauco *medico: Quem (inquit)* Alexander *in theatro abſentem nactus, caprum prandit aſſatum, & ingentem uni pſyctrem hauſit.* Niſi *pro maiore & ampliore uaſe ſumi uideatur.*

Lagena, Vne bouteille, *uas fictile, quo ceu potorio utuntur qui per æſtatem atque ardores maximos in agris negotiantur, ea forma, inquit* Budæus, *qua hydriæ fictiles hodie à* Bellouacis *importantur,* Cruches de Beauuays. *à tereti enim collo diſtenta uentris laxitas, iterum ſenſim ad imum gracileſcit.* Martialis,

Nulla cathenatis pila eſt præcincta lagenis.

Vaſa vinaria.

V*Aſa uinaria, in quibus uinum ad noſtros uſus reponere ſolemus. Quo in loco etiam de illis uaſis uinarijs tractabimus, quæ menſuram certã cotinere ſolent.*

Cadus, Vn caque, *amphoras duas & beſſem ca-*

pit: hoc est, duodenos cõgios Parrhisinos. Fuit autẽ cadi forma apud antiquos, turbinaria ex Plinio, id est cono & strobylo, & nuci pineæ similis. Ouidius quinto Fastorum,

Promit fumoso condita uina cado. Virgil.
Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes.
Cadis etiam utebantur antiqui ad salsamenta condienda.

Cirnea, uas uinarium, quo uinum è cadis detrahebatur: uulgus Italorum simile quiddam uocat, Vn bocal. *Plautus, Cadus erat uini, inde impleui cirneam.*

Congius, quartarios quaternos continet, Græci choa dicunt. Sextarium lingua nostra uernacula nulla ratione uocauit, Vn sestier de vin.

Vrna, hemiamphorion seu semiamphora quoque dicitur: quadraginta enim urnæ, uiginti amphoras ualent ex supputatione Columellæ. Sedecim autem urnæ, modium nostrum faciũt, id est, quatuor & uiginti brochos.

Brochus uerò, à uerbo Græco βρέχω *dicitur, quod fundo significat: est autem uas fundẽdo uino accõmodatum implendis, deplendísque culeis, & uasis conditoriis, & uino quocunque modo transuasando. Græci œnophorum ex eo appellant, quòd uino comportando aptum sit. Iuuenalis,*

-tandem illa uenit rubicundula, totum
OEnophorum sitiens plena quod tenditur urna.

Sed ut ad urnam redeamus, ueteres inuenio urnis nõ solùm ad uinum & aquam usos, sed etiã ad mortuorum & concrematorum cineres reponendos, cuiusmodi antiqua monimenta passim in Italia reperias. Vr-

nis etiam ad suffragia utebantur. Virgilius, Quæsitor Minos urnam mouet. Vrnas præterea olearias fictiles Cato ponit.

Amphora, uinarium & aquarium uas. Quod autem etiam aquarium esset, ostendit locus Horatij in Arte poetica: -amphora cœpit
Institui, currente rota, cur urceus exit?
Quòd uerò magis uinarium fuerit, ex hoc liquet quod de Bonoso imperatore dicitur, qui cùm se suspendisset, dictum est, non imperatorem, sed amphoram pendere: uino enim plus satis indulgebat. Martialis,

Amphora non meruit tam pretiosa mori.

Amphoræ forma tesseraria fuit, & in ceruicem gracilescens. ex Catone. Singulæ autem amphoræ decem & octo quartarios nostros capiunt, hoc est sextarios Romanos duodequadraginta. Romæ præterea in angiportis & angulis uicorum amphoras fictiles collocatas fuisse memoriæ proditum est, in quibus uesicæ commeantium, ut inquit Suetonius, exonerarētur. Hinc Caij Titij oratoris dictum in oratione pro lege Fannia, Dum meiunt, inquit, nulla est in angiportu amphora, quam non impleant, quippe qui uesicam uini plenam habeant.

Dolia, inquit Nonius, uasa sunt grandia, quibus uinum recōditur. Cato, Vinum in doliis hoc modo uænire oportet. Quod genus uasis prius ab antiquis Calpar dictum Varro in Nonio asserit. Sesquiculeare dolium Columella, triginta amphorarū dolium appellat. Ventrosa autem dolia eodem authore fuerunt. Quinetiam olearia dolia fuisse affirmat lib. 6. quorū magnitudinem culearem fuisse dicit. Cato de Re rusti-

ca, Eos conculcatos in dolia picata indito. Dolia picata appellat, pice illita, Poissez.

Linter, genus dolij rustici. Tibull. lib. 1,

Aut mihi seruabit plenis in lintribus uuas. Est etiam lignum cauatum instar nauiculæ. Vnde & pro naui accipi solet.

Cuppa, Vne cuue, maius uas ligneum ad uinum condiendum. Lucan. lib. 4,

Nanque ratem uacuæ sustentant undique cuppæ.

Quadrantal, inquit Festus, antiqui uocabant amphorã, quod uas pedis quadrati, octo & quadraginta sextarios capit. Plautus,

Anus hæc sitit, quid ita sit? modica est, capit quadrãtal.

Cybium à Græcis dictum, ex Budæo, uas illud, quod prisci Latini quadrantal appellabant. Dictum cybium, quia eius medium æquè patet in omnes partes: quod genus à geometricis cybos dicitur.

Modius, Vn muy, Gallicum uocabulũ est & aridorum & liquidorum mensuræ, non modò priscum, sed uarium pro locorum uarietate nomen obtinens. Modij autem nostri mensura, 36 congios nostros capit, quos uulgus sextarios nulla ratione appellat.

Medimnus, ternos modios Romanos continet, mimnam uulgus uocat per syncopen, Vne mimne.

Modius autem Romanus non dispar erat ei mensuræ quam bœotium uocamus, Vn boesseau. Chœnix uerò semodius dicebatur, Vn demi boesseau, ut illud obiter dictum sit. Budæus.

Culeus, Vne pippe, modios nostros duos & semis capiebat, id est, sexaginta Romanos. Magnum autem uas ex eo fuisse apparet, quòd in culeo scorteo

damnati lege Pompeia, cum cane & gallo, & uipera insuebantur.

Culeos autem nũc sesquimodiales habemus, id est, duodecim amphorarum, cuius uocabulum uulgare ad Latinũ alludit. Quo genere Ligeris fluuij accolæ utuntur. Est & aliud genus culei maioris captus, quos tonnellos appellamus uulgò. Budæus lib. 5. de Asse.

Mirum autem est Gallos nostros φιλέλληνες *usqueadeò fuisse in hisce uasorum & mensurarum nominibus, ut etiam integra uocabula retinuerint, quẽadmodum in sequentibus dicemus, primùm à minoribus uasis incipientes.*

Hemixestes, Demi sestier, *minima mensura ac minimum uas uinarium à nobis dicitur: quod uocabulum, merè & integrè Græcum est: significat enim dimidiatum xestem. Xestes autem est hemina.*

Cheopina, Vne chopine, *à Græco* χέε πίνειν, *quòd in ea tantum funditur uel hauritur uini, quantum homo sitibundus uno haustu absumere possit. Lugdunenses filletam appellant, quasi fideliam, quæ duplex, pintam continet.*

Pinta, Vne pinte, *à Græcis deducta: illi enim pitynam appellant uas quoddam uinarium: deinde ex pityna per syncopen fit pitna: nos autem transpositione literarũ pintam diximus, à* πίνω *bibo: unde aliud quoque uocabulum deductum habemus,* Vn pion, *pro potore & helluone.*

Quartariũ, Vne quarte, *apud Catonem, est congij sexta pars. Nos uerò brochum appellamus, sesquisextarium Parrhisinum, quæ mensura dimidio maior est urna: id est, hemiola est urna brochi. Itaque quarta-*

rium dicimus, non quartam partem alicuius maioris mensuræ, ut Latini *uocauerunt, sed uas quod quatuor mensuras caperet, id est, quaternas cheopinas: sic ternarium, quod tres.* Vn pot de trois chopines. Se*missem autem uocant* Lugdunenses, *quam quartam uocamus,* Vna cymese. Sed *hæc omnia ex* Budæo, *nequis fallatur.*

Fidelia, *inquit* Nonius, *uas* Samium *ad plurimos usus: nos autem pro uase uinario utimur, quod lingua nostra corrupto uocabulo uocat* Vne fillette, *præsertim apud* Trecenses: *nam* Lugdunenses *pro cheopina accipiunt.* Fideliarum *autem* Trecensiū *forma est lignea, quemadmodum cadisci.* Plautus, Sed *si reperero, ô fides, mulsi congialem plenam, faciam tibi fideliam.* Eo*dem modo quo* Plinius Congiarium *cadum dixit.* Fi*deliæ autem antiquorum qua forma fuerint, legisse me non memini, sed fictiles & uitreas apud* Columel*lam legimus.*

Orca, *uas* Hispanicum Varroni, *factum ad similitudinem marinæ beluæ, quæ à* Festo *orca dicitur.* Per*sius, -angustæ collo non fallier orcæ.*

Fuit *autem orca, ut ego quidem coniectari possum, uas uinarium, olearium, salsamentarium, & salgamariū.* Q*uinetiam* Festus *uocat orcas ficarias teretes, atque uniformi specie, quarum ratio non sua mensura, sed sua forma constat.* Or*cis adhuc hodie salsamentarij negotiatores utuntur.*

Diota, *uas fictile, utrinque ansatum, aptissimum seruando uino.* Horat. *lib.* I. Carm.

-atque benignus
D*eprome quadrimum* Sabin*a*

O Thaliarche merum diota.

Quibus uersibus adducor ut credam, diotam Sabinis in usu fuisse ad uinum asseruandũ in multos annos, quemadmodum hodie in Hispania fieri solet. Ad quod munus propria etiam dolia picata habent.

Ciborium, uas uinarium ad similitudinem foliorum colocasiæ incuruatum, & læue factum atque expolitum. Horatius 2. Carm.

Obliuioso læuia Massico
Ciboria exple.

Seria quoque formam certam uasis denotat, non certam mensuram. Vas erat uariæ capacitatis, ad multos usus accommodatum, puto tamen oblongum fuisse, ex Columella multis in locis. Ac si nobis coniectari licet, & aliquid diuinando consequi, ego putarim oblongas & fictiles serias fuisse, ceu urnas quasdam in quibus aquam asseruabãt: donec pacatior fuisset: qui mos hodie quoque Romæ perdurat. Liuius, Et in uico histrio, fontem tanta ui aquæ fluxisse, ut serias, doliáque uelut impetus torrentis tulerit. Terentius, Serias omnes releui. Inde seriola. Persius saty. 4,

Seriolæ ueteris metuens deradere limum.

Vasa aquaria.

INter uasa aquaria uel aquiminaria non solùm annumerabimus ea quæ frigidam continere solent, & in quibus aqua gestari, aut cum quibus hauriri aqua solet: sed etiam ea in quibus aqua igni calefit.

Vrceus, cuius diminutiuum Vrceolus, uas aqua-

rium, ut tamen urceus esset ad frigidam, urceolus ad calidam. Inde urceoli ministratorij apud Martialem. Vrcei quoque sunt ex Iureconsulto, quibus aqua in æneum infunditur. B. Manusternam Plautus urceum aquarium uocat.

Ahenum autem, uel æneum, Vn coquemart, cucumam uulgus uocat, uas ad parãdum aquæ calidæ potum. Horat. 2. Epist. -emptis
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum.
Miliarium quidam uocant, ut inquit Athenæus in tertio: cuius etiã meminit Palladius. nonnulli Græcorum uerborum artifices ἰπνολέβητα appellarunt, & ἰπνολέβητιον. Pollux ahenulum uocat. B.

Hydriam Latinè uocamus urnam aquariam, Vne cruche. Hydria etiamnum utebantur antiqui ad ferẽda suffragia, & ad colligendos continendósque mortuorum cineres. B.

Calpis Plutarcho in Marcello idem quod hydria esse uidetur: Herodotus item pro uase aquario sumit.

Craterra Nonio, uas hauriẽdæ aquæ proprium: nos Situlam uocamus. Quo uocabulo etiã utitur Plautus, Si hanc situlam accepero, omnem illi puteo animam intertraxero. Plinius libro 10. cap. 43. de coruorũ industria: Tradendum, inquit, putauere memoriæ quidam, uisum coruum per sitim lapides congerentem in situlam monumenti, in qua pluuia aqua durabat, sed quæ attingi non posset: ita descendere pauentem, expressisse tali congerie, quæ poturo sufficeret. Huius autem est diminutiuum sitella, erátque uasculum in quo suffragia populi colligebantur in creandis magistratibus. Cic. pro Cornelio, Neque maius est legere

codicem, quum intercedatur, quàm sitellam ipsam cum ipso intercessore deferre. Nisi mauis legere cistellam, quod mihi sanè commodius uideretur.

Suturnium, urceolus seu guttus ex quo aqua in pelluuium distillat, Vn goutteron, Vn biberon.

Pelluuium autem uas est in quo pedes lauantur, uel ex ipsius uocabuli indicatione, Vn baſſin a lauer les pieds.

Malluuium quoque uas patulũ, in quo manus abluuntur, Vn baſſin a lauer les mains.

Peluim nonnulli à pelluendo dictam putant: Varro à pedum lotione: Græci πέλιν καὶ πελίκα dicunt. itaque uerius à Græco deduci putabitur. Quinetiam uas illud in quo pocula lauantur, Græci ὀλκεῖον καὶ λουτήριον uocant. B.

Trulleum, uas quo manus perluuntur.

Trullam quoque uas fuisse aquarium ex ære Corinthio fieri solitum coniicitur ex Plinio lib. 34. cap. 2. Sunt ergo uasa tantũ Corinthia quæ isti elegantiores nunc æs sculpendo transferunt modò in lucernas, modò in trullas, nullo munditiarum respectu. Sed & trulla uas est uinarium, sic dictum, quòd usu teratur: uel, ut alij putauere, à transuolando, quòd per eã aqua trãsuolet. Iuuenalis in tertia, Si trulla inuerso crepitum dedit aurea. De trulla quoque murrhina loquitur Plinius lib. 37. de T. Petronio.

Pollubrum, uas aquatile ad lauandas manus. Fabius pictor apud Nonium, Aquam manibus dato, pollubrũ sinistra manu teneto. Erat autem utplurimum argenteum. Liuius, Argenteo pollubro, & aureo gutto. quo ex loco dixerim guttum esse uas illud quod nos uo-

camus, Vne esguiere a biberon, nisi mauis mistarium appellare cum Lucilio: sed mistarius geminas ansas habebat, & longus erat, quo aqua uinum miscebatur.

Chus siue choa, Vne esguiere, uasis genus quo aqua fundebatur: ἀπὸ τοῦ χέειν, quod est fundere. Est & mensuræ genus hunudorum apud Atticos, Romanum congium capiens, nempe sex sextarios, siue cotylas atticas duodecim.

Phialas præterea uitreas & aureas fuisse coniicitur ex multis authorum uariorum locis. Græci φιάλην καὶ φιάλιον uocant. fueritne autem uas aquariũ, an uinarium, dubium est: poculum tamen aureũ fuisse Plinius affirmat libro 33. Nos tamen uitreum uulgo affirmamus esse uas, Vne phiole. Itali caraffam uocāt.

Armillum, inquit Varro, urceoli genus, quod armo ferebatur.

Amula, uasculum erat in quo ferebatur aqua lustralis ad expianda scelera. dictum ab amoliēdis peccatis, Vn benoistier. hinc amuletum diminutiuum, remedium aduersus inuidiam & ueneficia.

Anthlia, uas hauriendis aquis idoneũ. Mart. lib. 9, Curua laboratas anthlia tollit aquas. Hinc uerbum Exanthlare, exhaurire.

Solium, uas erat quo in thermis uel balneis lauabantur. Quod factum olim tanto sumptu refert Liuius, ut mulieres solijs argenteis uterentur.

Colum niuarium, uas erat quo aqua ex niuibus colari solebat, ad delicias Romanorum: ut æstiuo tempore frigidius biberent. Martialis,

Attenuare niueis norunt & lintea nostra,
Frigidior colo non salit unda tuo.

Itaque utebantur etiam ſacco niuario, qui lineus erat, ut liquidius merum potarent, quale eſt illud quod uocamus Vne eſtamine. *Nos hodie colo utimur ad lac colandum: & eſt uas ligneum quod fundum linteum habet ſibi annexum: uulgus uocat* Vn coulouer.

Vaſa olearia, & Vnguentaria.

VAſa olearia non ſolùm appellabimus ea in quibus oleum in cellis reponitur ut cadi, urnæ, & dolia olearia: ſed etiam ea in quibus oleum conſumitur in uſum noſtrum, ut lychni, lampades, & huiuſmodi: de quibus æquum eſt nunc ut diſſeramus.

Lecythus, pro ampulla olearia ſumitur in ſacroſanctis Bibliorum *uoluminibus, nempe lib.3. Regum.* Iulius *autem* Pollux *in ſexto,* λήκυθον *inter uaſa unguẽtaria annumerat.* Atqui *oleum inter unguenta ueteres poſuere, quando nullum unguentum optimum abſque oleo fieri uidemus.*

Alabaſter, uel alabaſtrum, uas unguentarium quod uel ex onychino marmore, uel alabaſtrite fieri ſolebat. Cic. *lib.2. Quæſt. Acad. Quibus etiam alabaſter plenus unguenti putêre uidetur.* Mart. *lib.11,*

Quod Coſmi redolent alabaſtra focique deorum.

Idem etiam onycha eodem libro pro alabaſtro poſuiſſe uidetur:

Profertur Coſmi nunc mihi ſuccus onyx.

Ampullas item conſimili ratione annumerat inter uaſa unguentaria, libro tertio:

Et Coſmianis ipſe fuſus ampullis.

Quarum formam describit Plinius *lib.* 3. *Epist. Quibus non hians est, nec statim patens exitus.* Apuleius *in floridis,* Ampullam *oleariā uocat. Quòd autem turgida & uentrosa fuerit, id ostendere uidetur locus* Horatij *in* Arte *poetica, qui ampullas & sesquipedalia uerba, pro turgentibus & grauibus ponit.* Hinc *ampullam dicimus in corpore, illam cutis promunentiam & inflationem quæ ex humore aqueo, uel etiam spiritiosο aliquo aere incluso inter cutem & carnem eleuari solet.* Suetonius *in* Domitiano *pro uase uitreo accepisse uidetur:* Vt *non temerè, inquit, super cœnam præter martianum malum, & modicam in ampulla potiunculam sumeret.*

Pyxis quoque, Vne boiste, *pro unguentario uase ligneo & maximè buxeo sumi uidetur. Nescio an pyxides sint ea uasa quæ* Plutarchus *in* Aristide *&* Alexandro πὺς κρωσσοὺς *uocat. olei quoque & unguenti crossos liberi adolescentes deferunt.*

Concha *item pro unguentario uase ab* Horatio *ponitur:*

Funde *capacibus unguenta de conchis.*

Lucerna, Vne lampe, *uas in quo oleum consumimus ut luceat, & splendorem emittat:* Græci τὴν λαμπάδα, καὶ λύχνον, καὶ λυχνίον *uocant.* Hinc *de* Demosthene *dictum est, eius scripta lucernam olere.* Fiebant *antiquitus lucernæ, quemadmodum etiam nunc apud nos ex ære.* Plinius *libro* 34. *cap* 2, Sunt *ergo uasa tantùm* Corinthia, *quæ isti elegantiores, nunc æs sculpendo transferunt modò in lucernas, modò in trullas, nullo munditiarum respectu.* Lucernam *autem à lychno dictam contendit* Seruius. Vnde, *inquit, primam,*

breuem habet. *Iuuenalis,*

Dispositæ pinguem nebulam uomuere lucernæ.

Quòd autem oliuum lucernis imponere solerent antiqui, ostendit locus Horatij: -ungor oliuo,

Non quo fraudatis immundus Nacca lucernis.

Lychnus, idem quod lucerna, cùm tamen pro candelabro accipere uideatur Virgilius primo AEneid. -dependent lychni laquearibus aureis.

Scirpus autem ille laneus, qui circunfusus oleo & incensus ardet in lychno, à Græcis ἐλλύχνιον *appellatur,* La meche.

Lychnuchi pensiles, Grans chandeliers, ou lampes qui pendent aux esglises. *Plin. lib. 34. cap. 3. Placuere & lychnuchi pẽsiles in delubris, arborum modo mala ferentium lucentes. Erant enim maxima candelabra ex ære Corinthio uel AEginetico conflata, cuiusmodi hodie quoque in templis nostris usuntur, & in aulis principum.*

Candelabrum, Vn chandelier, *à candelarum lumine nomen impositum habet, inquit Plinius. Fiebant autem ærea candelabra etiã apud antiquos, sed Corinthio ære facta fuisse negat Plinius: quin potius AEginetico fiebant.*

Vasa culinaria.

SVperest *nunc ut uasorum culinariorum species ac formas explicemus. Vasa autem culinaria, quæ & coquinaria Plinius uocat, sunt ea quibus coquina uel culina referta est, aut quæ in culina reconduntur: nempe frixoria, & ea in quibus pultem & pulmenta, atque*

alia id genus cibaria decoquimus in usum nostrum.

Aula siue olla, uas fictile, uel etiam æneum ad pultem & olera coquenda, quod uel prouerbio manifestum fit. Catullus, Ipsa olera olla legit.

Iuuenalis saty. 14,

-& grandes fumabant pultibus ollæ. B.

Pultem autem (ut obiter illud dicam) uulgus uocat De la puree: *pulmentum uerò,* Du potaige: *generale enim est ad multa. Cæterum ab Olla diminutiuum fit Ollula, siue, ut antiquis placuit, aulula,* Vn potelet. *unde Plauti comœdia nomen accepit, ut Aulularia diceretur, propter repertam à sene auri plenam aululam.*

Caccabus, Græcum est, ex Athenæo in quarto & Aristophanis parasito: illi enim κάκκαβον uocant. uas autẽ est in quo pulmentaria super ignẽ coquimus. B.

Nomen traxisse quidam aiunt à sono, quem supra ignem positus facit. Apitius, Capita porrorũ simul elixabis in caccabo nouo, ut aqua ad tertiam deferueat. Fiebant autem apud antiquos etiam argentei caccabi, ut uidetur affirmare iurisconsul.

Patinam quoque inter culinaria uasa annumerare uidetur Paulus iureconsultus: nam & escis coquendis & etiam deferendis supra mensam seruiebat, ut diximus in uasis escariis: qui mos hodie quoque Venetiis obseruari à nobis uisus est.

Lebes, uas æneum aptum carnibus coquendis, aut etiam aliis rebus: Vn chauldron, ou vne marmite, *quod uas quia profundum erat, ideo curuum ab Ouidio dicitur:*

Fragiléque cadi, curuique lebetes. Idem,

Viginti fuluos operoso ex ære lebetes.

Hoc est, *cælatos, uel sigillatos, ut suprà diximus, & operibus sculptis insignes.* Virgilius,

Ingens argentum, Dodoneósque *lebetes*. *hoc est, ære* Dodoneo *conflatos & factos*. Erat *autem* Dodona, *ciuitas* Epiri, *in qua conflabatur & reperiebatur æs optimum, admodum resonans, ex quo etiam bracteæ æneæ fiebant, unde prouerbium*, AEre Dodoneo *loquacior.*

Tripus, Vn trepier, *ferreum quiddam, super quo uasa igni admouebantur.* Tripos *autem tripodis, mensa in templo* Apollinis Delphici, *cui superponebantur cortinæ.* Plin. *lib.* 33, Tripodibus *etiam donabātur fortes* Athletæ. Horatius *lib.* 1. Carm.

Donare tripodas, præmia fortium Graiorum.

Sartaginem Græci λοπάδα καὶ λοπάδιον *uocāt*. Nos *uulgo* Galli, *ut opinor*, La poalle, *ut uocabuli* Græci *non leuiter pressa uestigia retinere uideamur.* B.

Alij patellam uocant, sed, opinor, barbarè: nam patella quid sit, superius ostendimus, cùm de patina ageremus. Cæterum τήγανον Græci *pro sartagine accipere solent, nempe pro eo uase culinario, quod frixorium alij uocant*: Itali, Vna frissora, *unde* τηγανίζειν, *frigere & coquere in sartagine, ut opinor: atque hinc etiam* Galenus *panes tiganitas uocat, in sartagine coctos cum caseo, oleo, & aliis admixtis, ad saporem conciliandum: qualia sunt ea quæ à nostris coquis in conuiuiorum apparatibus fieri solēt*, Des bignets: Itali *uocant* Delle fritelle, *unde etiam fritille à quibusdam* Latinis *enuntiantur.*

Γύρανον καὶ πυρφόρον Pollux *uocat, quam nos cau-*

feretam dicimus, Vne chauferette, ἀπὸ τοῦ καῦμα φέρειν, hoc est, ab igne ferendo: est enim id uas in quo ignem recondimus, super quo discos escarios, & lances reponere solemus, etiam dum in mensa sunt: ut iusculum uel etiam ipsa caro, aut siquid est aliud, calidum à nobis edatur.

Veru uel ueruculum, Vne broche, inter culinaria instrumenta Pollux annumerat, appellátque ὀβελοὺς, καὶ ὀβελίσκους. Virgilius,

Pars in frusta secant, uerubúsque trementia figunt.

Plin. lib. 33, Ex eo sublata ueruculis ferreis, atque ipsa flamma conuoluitur ueruculo, ut sit modici ponderis. Vne brochette de fer.

Mortarium, Vn mortier, uas lapideum, uel æneũ in quo aliquid contundimus, uel ad iuscula facienda, uel ad pulmenta condienda. Id autem quo quidpiam in mortario contundimus, pistillum appellamus, Vn pilon. Plautus in Aul. Cultrum, securim, pistillum, mortarium, quæ utenda uasa uicinia rogant. Vnde aquam in mortario tundere, de inani & uana opera.

Pila, uas ligneum in quo antiqui frumentum contundebant & exspicabant, uel etiam hordeum excorticabant ad ptisanam conficiendam. Plinius lib. 18, Tundatur granum eius in pila lignea. Ea nunc utuntur funarij nostri ad canabem & linum expurgandũ.

Segana etiam dicitur uas in quo aliquid teritur.

Salinum, Vne saliere, uasculum in quo sal reponitur ad mensæ usum, aut sacrificia. Horatius,

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum. Persius,
Purum & sine labe salinum.

Scaphis, uas culinarium Athenæo. Veneti adhuc uocant Vna *scafa.*

Scaphium, uas in quo excrementa colligebant, & corporis fæcem. Iuuenalis,

Et rude scaphium positis consumitur armis.

σκάφιον *Pollux uocat, ubi agit de necessariis ad secessum: & mulierum erat, quemadmodum lasana & ἀμὶς uirorum.* Horatius *lasanum uocat:*

Te pueri lasanum portantes, œnophorúmque.

Scaphis autem argenteis antiqui utebantur, ut & hodie uiri Galliarum primarij: quin & aureis uasis uentris onus excipiebant, quod de Heliogabalo imperatore refertur. Athenæus tamen in quarto, scaphium inter uasa, uel potoria, uel escaria adscribit, nisi me fallit memoria. B. *Lucretius quoque libro sexto pro quolibet uase lati orificij sumit:*

Et ramenta simul ferri, furere intus ahenis

In scaphiis. Vitruuius, In eóque collocetur, circiter solis occasum, scaphium æreum, aut plumbeum, ut peluis.

Matella, uas urinarium à Græcis οὐρὴν, *unde nos uocamus* Vn vrinal, *Iulius Pollux* ἐνουρήθραν *uocat. Martialis in* 2,

Matella curto rupta latere meiebat.

Matellam autem crepitu digitorum poscebant ueteres. unde iocus Martialis in Paneretum. B.

Matellionem Tullius *in Paradoxis uocat: Quid enim censes, si L. Mummius aliquem istorum uideret, matellionem Corinthium cupidissime tractantem, &c. Matellionem Corinthium dixit, ex ære Corinthio factum. Varro, Postularet trulleũ, matellionem, peluim.*

Coculum M. Catoni, uas est æneum aptum coctio-

nibus. Plautus, Æneis coculis excocta est mihi omnis materia. Plura si quis inuenerit, huic ordini adscribat. Ego uerò tantùm ea quæ inter legendum occurrerunt, ex bonis authoribus congessi.

Vasa viminea.

FEre opusculũ clauseram, cùm mihi in mentem uenit uimineorum, quæ sanè post uasa lignea exprimere fortassis commodius fuisset: sed quando etiam hic locus nos ad earum explicationem inuitat, simul omnia docebimus.

Vimen igitur erit, omne uirgultum molle, & ad ligandum aptum, quales sunt uirgæ populi, ulmi & betulæ, & sanguineorũ frutiam, atque etiam coryli & salicis, quæ præcipui sunt ad uasa usus. Vnde lentum uimen uocauit Virgilius libro 3, hoc est flexile, & in quanuis partem ductile. Huiuscemodi itaque uimine fiebant uasa ad multa utilia, ut ad colligendas dapes è mensa: præterea etiam ad muliercularũ linteola recondenda, quæ omnia, uasa uiminea dicebantur.

Calathus, muliercularum uas fuit, in quo suos fusos, aut etiam uiolas reponere solebant. Virgilius,

-non illa colo, calathisue Mineruæ
Fœmineas assueta manus. Idem in Bucol.
-tibi lilia plenis Ecce ferunt Nymphæ calathis.

Cuius diminutiuum est Calathiscus pro eodem. Politianus in Rustico, Aut cista exportant, aut rasilibus calathiscis.

Cista autem, quantum ego coniicere possum, uiminea etiam fuit: erátque uas satis amplũ, in quo multa

asseruabant. Iuuenalis,

Ianque uetus Græcos seruabat cista libellos.

Itali adhuc uocabulum integrũ retinent. Hinc *cistifer*, Vn porte pannier. *Martialis in* II,

Nupsisti Gellia cistifero.

Cistella *pro eodem.* Cicero *tamen pro eo uase sumere uidetur, in quo suffragia colligebantur. pro* Cornelio Balbo, *Neque maius est legere codicem cui intercedatur, quàm cistellam ipsam cum ipso intercessore deferre. Quo loco quidam corruptè, ni fallor, sitellam legunt.* Cicero, *aut quicunque fuerit qui libros conscripsit ad* Herennium: *Saturninus, inquit, legem ferre cœpit: collegæ intercedere: ille nihilominus cistellam detulit.*

Canistrum *seu canister, uas amplum, uiminibus contextum, in quo fructus recondebãtur, atque offerri in honorem solebant ab ipsis agricolis, seu etiam muliercul̃is.* Ouid. *lib.* 3. *Metamorph.*

Prunáque, & in patulis redolentia mala canistris.

Sporta *siue sportula, canistro non erat dissimilis, sed in aliũ usum: nempe eum cui nostram corbem applicare solemus,* Vne corbeille. *Sallust. in* Iugurtha, *E muris canes sportis demittebant.* Veneti *sportulas & sportas hodie uocant, uiminea quædam utrinque ansata & plicabilia, quales sunt ficuum calathisci,* Cabats de figues, *ut una manu deferri possint, quibus utuntur ad carnes & escas alias deferendas, quas è foro domum asportant.*

Sportulam præterea Romani *pro eo nummo accipiebant, qui togatis dabatur cum obsonio (ut inquit* Suetonius) *à potentioribus, ut deducerentur & redu-*

cerentur per urbem incedentes: ualebat autem centum quadrantes, quadrans uerò erat qui nunc Romæ uocatur Quadrin, uel Quatrin, nos, Vn tournois. uide Bayfium cap. 9. de Re uest. & Budæum in lib. de Asse. De huiuscemodi autem sportula Iuuenalis Satyra 1,

-nunc sportula primo
Limine parua sedet, turbæ rapienda togatæ.

Asconius tamen, Sportæ, inquit, sportulæ, & sportellæ, nummorum sunt receptacula.

Quallus, uas uimineum per quod uinum è prælo guttatim defluit, quod etiam colum appellat Virgilius:

-tu spisso uimine quallos
Coláque prælorum fumosis diripe tectis.

Picti etiamnum qualli dicuntur, cistellæ in quibus mulierculæ fusos suos reponere solent. Pontanus,

Vidit ea pictos melius contexere quallos.

Picti autem dicuntur, aut quòd uiminibus rubris atque albis intertexti appareãt: aut quòd etiam iisdem uersicoloribus uiminibus quædam ceu auium aut ferarum formæ depictæ uideantur, quemadmodum Venetiis quoque nunc uideri solet.

Fiscina, uasculum uirgulteum, è quo lac colatur dum caseus imprimitur, Vne esclisse: uimineũ autem erat, aut iunco textum. Virgilius in Coppa,

-contextáque cannis Fiscina lacte madens. Theocritus τάλαρον appellat. In eandem quoque significationem ponitur fiscella. Virgilius,

Et gracili fiscellam texit ibisco.

Ibiscum autem, ut id etiam dicamus, uocat uirgas oblongas, quæ detractis ex althæa (hoc est bismalua, Guimauue) foliis curuari solent, & in fiscellarũ con-

textum applicari. Nam & ibiscum, siue ebiscum althæam appellari contendit Dioscorides.

Corbis, uas uimineum quo messores utebantur. Cicero pro Sextio, Messoria se corbe contexit. Propertius libro 4,

Corbis in imposito pondere messor eram.

Huius diminutiuum Corbula. hinc Corbulas Amerinas dixit Cato, ex salice Amerina contextas: iuxta enim Ameriam Vmbriæ urbem salices præstantissimæ crescere solebant.

Panarium, uas uimineum, quo panes deferuntur ad mensam, qui mos adhuc hodie in plerisque Italiæ locis perdurat. Statius,

Hi panaria, candidásque mappas
Subnectunt, epulásque lautiores.

Suetonius in Caligula, Sparsit & missilia uariarum rerum, & panaria cum obsonio uiritim diuisit. Panariolum pro eodem. Martialis,

Cum panariolis tribus redisti.

Vannus, fœmininum, uas latum in conchæ formam contextum, quo frumenti & auenæ paleæ expurgantur. Columella, Ipsæ autem spicæ melius fustibus tunduntur, uannis expurgantur. nonnulli cribrum cereale uocant.

Cophinus, quem Græci κόφινον dicunt, nos, Vn cophin, Priscianus corbem interpretatur, à leuitate dictus est: significátque apud nos, tum uas ipsum uimineum, tum etiam mensuram ipsam, uel frumenti, uel auenæ, aut alterius rei. Iuuenalis in sexta,

Cùm dedit ille locum cophino, fœnóque relicto.

Infinita penè alia sunt uasculorũ genera, quæ hic

à nobis non enumerantur hoc loco: neque enim, ut uerũ fateamur, nobis Latina *omnia nomina, nedum* Græca *ipsa uocabula, sunt usqueadeò comperta, ut de iis statuere quidquam possimus.* Sed *neque id quidem uelimus* Lector, *ut quæcunque præter* Bayfij *aut* Budæi *iudiciũ à nobis posita sunt, ea omnia arcana esse credas, nisi tibi exempla faciant satis. quod si id quidem minus fecerint, nihil est in hoc libello, quod non tuo & eruditiorum omnium iudicio subiaceat.*

Summa rei Naualis ex Lazaro Bayfio.

Nauis.

FACILES *ut simus & breues, quemadmodũ adolescentulos nostros plurimum desiderare cognouimus, antequam rei naualis interpretationem aggrediamur, eos paucis admonitos decet, ordinis quem in hoc libello passim obseruaturi sumus.*

Itaque *primùm nostro more nauis significationem, & quæ ab ea dictione proficiscuntur, tum* Græca *tum etiam* Latina *uocabula in grammaticorum gratiam explicabimus: inde uerò ad generalia nauium nomina, & differentias sermonem transferemus.* Post *hæc autem, ad uarios nauium usus & primas constructiones*

ducemus sermonem: ut uel ea ratione particularē nauium rationem persequamur. Postrema omnium erit partium nauis, & instrumentorum explicatio.

Nauis (Græcis ναῦς dicta) quid sit, notius est omnibus, quàm ut longiori interpretatione opus habere uideatur. comprehēdit enim tam ea instrumenta quibus per flumina, stagna, lacus, & huiuscemodi aquas dulces, animi causa circumuehimur, aut utilitatis nostræ, uel lucri gratia aliquid circunferimus: quàm ea quibus maria magna nauigamus, & in uarias regiones transfretamus, uel belli, uel etiam mercium gratia.

Nauem bonorum omnium egregia translatione dixit Cicero ad Cornificium libro 12. epist. pro Repub. bonorum per id tempus uectrice, & fautrice: quo tempore ipse Cicero audiebatur, & authoritatem atque existimationem retinebat, clauúmque in puppi tenens Reipub. nauem gubernabat: Quamobrem (inquit) mi Quinte conscende nobiscum, & quidem ad puppim. Vna nauis est iam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus, utinam prospero cursu. Sed quicunque uenti erunt, ars nostra certè non aberit. Quid enim præstare aliud uirtus potest? Hoc est, quandiu ipsi audiemur, & à nostris consiliis Respu. stabit, boni uiri, hoc est, uirtutis studiosi & honestatis amantes, tanquam in naui quadam (cuius nos gubernatores, & naucleri erimus) dignitatem suam atque authoritatem perpetuò retinebunt, rectámque nauem semper tenebimus: nisi contrariis uentis profligata tandē demergatur ac deprimatur: hoc est, nefario consilio submersa Respublica cōcidat. Quicunque autem id molientur: dabimus operam, ut arte

& diligentia nostra uicti, tandē quiescant. Quid enim aliud præstare uirtus potest? quid præterea nauclerus in naui arte sua potest efficere, quàm rectam tenere nauem, uentis etiã reflantibus? quòd si ipsa uentorum uis atque impetus artem suam uincat: iam uela uentis sunt permittenda, & fortunæ in aduersis cedendum. Hæc *paulò fusius tractauimus propter tralationis nobilitatem, & sensum paulò obscuriorem.*

Nauigium, *cùm à naue descendere uideatur, & quasi nauis ipsius actionem, hoc est nauigationem & iter quod naui fit,* Græci πλοῦν *uocant, significare (ut ex* Iureconsulti *uerbis latissime ostendit* Bayfius*) tamen etiã pro omni nauis genere, quo in mari utimur, persæpe & frequentius sumi solet: & id significare potissimum quod* Græci πλοῖον *uocant,* toute espece de batteau, galee, ou nauire. V*nde paruum & magnum nauigium* dixit Cicero de Oratore: *& dissolutum ac dissipatum nauigium protulit idem ad* Atticum, naue rompue, cassee & brisee. E*tiam conductum nauigium dixit* Horatius *in primo epistolarum, cùm quis pretio naui uehitur,* Conducto *(inquit) nauigio æque* N*auseat, ac locuples.* Item *& speculatoria nauigia dixit* Cæsar *quarto belli* Gallici*, pro exploratoriis nauibus, de quibus postea suo loco.* Colligere *etiam nauigia dixit* Cicero, assembler les nauires pour soy partir. Q*uinetiam idem in* Verrem *paruulum nauigium protulit, pro eo quod nostrum uulgus uocat,* Vne petite barcque ou batteau. Et *pro* Sextio *perparuum nauigium uocat, ut in ipsius* Bayfij *libro latius & fusius adnotatum uidebis.* Nam *hîc breuibus*

tantùm singula delibare & attingere statuimus.

Nauigiolum item pro perparuo nauigio sumi solet, Vne flette. *Lentulus in epistolarum familiarium libro duodecimo,* Nos *uix ipsi singulis cum nauigiolis reciperemur.* Græci *id* πλοιάριον *uocant.*

Nauium tyrocinium per translationem uocauit Plinius *lib.* 24. *cap.* 7, *cùm primùm mari committuntur naues, & ueluti in* Neptuni *militiam conscribuntur. huius rei nos admonuit* Budæus, *literarum ornamentum singulare.*

Nauicula etiam à naue deductum nomen habet: & paruum nauigium siue etiam nauigiolum significat, quo huc atque illuc uoluptatis aut negotiorum causa circumuehimur: siue id per flumen, siue etiam per ipsum mare fiat: ut Venetiis *aliquando uidimus. uocant autem illi barcam aut gondolam.* Nostrum *uulgus nauicellam appellat,* Vne nasselle *(quanquam nauicella cum* Iureconsulto *magis propriè pro naue piscatoria sumatur, ut dicemus suo loco)* Cic. 14. *ad Attică,* Deinde *ad epulas* Victorij *nauicula.*

Nauiculam duorum scalmorum dixit Cicero 1. de Oratore: *pro ea quæ duobus remis agebatur.* Id *est, quod superiori exemplo, nauigiolum* Lentulus *uocauit.* Scalmus *autem quid sit suo loco dicemus, ubi nauis partes explicabimus.*

Paruam insuper nauiculam dixit idem Cicero *ad* Quirites *post reditum: pro nauicula traiectoria, quam uulgus nostrũ uocat,* Petit batteau, ou petite nasse a passer l'eaue. *Cũ parua, inquit, nauicula traiectus in* Africam, *quibus regna ipsa dederat, ad eos supplex inópsq; uenisset.* Itaque *obiter id dicemus, puero-*

rum causa, traiicere in insulam, Passer en l'isle: *traijcere in continentem, uel (si mauis) rudetum*, Passer au terrain, *rectè dici. Item etiam passiuè, traijci flumen nauicula*, Estre passé de la l'eaue en batteau: *quemadmodum etiam actiuè, traijcere flumen*, Passer de la l'eaue. *Græcè* διαβαίνειν τὸν ποταμὸν, *elegãter & iucundè dicere poterimus. Sed iam ad alia quæ à naue deducuntur uocabula.*

A *naue quoque nauigare uerbũ deducitur, hoc est, naui per mare aut fluuium iter facere: uel à ciuitate in ciuitatem, aut aliqua regione in aliam trãsuehi. Vnde nauigare in Indos Plinius, & nauigare in Britanniã dixit Cæsar tertio belli Gallici. Inde etiam nata prouerbia duo, Nauigare Antycirã, & Nauigare in Massiliam: quorum alterũ ab Horatio in insanos dictum est, & eos quibus helleboro esset opus, quod apud Antyciras optimum reperiebatur: alterum autem in delicatos & molles contorqueri solet. Aiunt enim ipsos Massilienses nimis delicato ac molli muliebríque cultu usos, ut etiam capillum unguentatum muliebrẽ in modum religarent. Quod tamen dictum nonnulli ad grauitatem & disciplinam trãsferunt, quæ apud Massilienses olim præcipuè nobilis fuit.*

Nauale præterea à nauibus nomen traxit. quod si quidem per se subsistat, ac nullo adiecto efferatur, locum significat, in quo naues stant per id tempus quod uel nauigationi est incommodum, uel per alias occupationes nauigare non licet. Eo in loco naues interdum reficiuntur ac resarciuntur. Veneti suum nauale Arsenale appellant. Græci naualia, νεώρια *dicunt. In quibus singuli sunt uici, siue interualla, ac ueluti tecta*

quædam singulis nauium differentiis propria & commoda, ubi triremes, reliquæque naues longæ ædificantur à fabris naualibus. ea uerò tecta à Græcis νεωσοῖκοι *dicuntur.* ναύσταθμος *autem maiorum nauium receptaculum erat: ab ipsa nauiū statione, uulgus nostrum uocat* vn haure, τελαεικὸς, *longarum.*

Si uerò nauale non iam per se, sed cum adiecto proferatur: id significat quod uel nauibus fit, uel nauium beneficio acquiritur, ut nauale prælium, naualis pugna, naualis gloria, naualis apparatus, triumphus item naualis, tuba, crimen, & cætera id genus, quorum exempla ex dictionario linguæ Latinæ petito.

Nauarchus porrò, etsi Græca dictio est, tamen in Latinum usum pro imperatore & duce classis uenit: nostrum uulgus capitaneum, aut caput armatæ marinæ uocat. Cicero in Verrem, Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, cæterísque rebus nauarcho suo quæque ciuitas semper dare solebat. Nauclerus uerò à Plauto dictus est in Milite, qui in naui ipsis nautis imperat, Cubare (inquit) in naui lippam, atque oculis turgidis Nauclerus dixit, qui illas aduexit mihi, Vn matelot ou pilote, & patron de nauire.

Quin & nautæ à naue nomen habent: hoc est, qui aliquam operam in naui præstant, quos & nauitas poëtæ per epenthesim dixerunt. Quinetiam Liuius tertiæ decadis lib. I, *socios nauales appellat eos qui uulgo remiges dicũtur, Græcis uerò* πληρώματα, *ut probat Baysius. Veneti uocant,* la ciurma, *nostri* les galiots.

A nautis nauticus adiectiuum deducitur, quod nau-

tarum proprium est, uel quod nautis est usui: ut nauticus panis Plinio, quod nunc biscoctum uocamus, quia iterum atque iterum coctus sit, Du biscuict, Græci ἄρτον ναυτικὸν uocant. Funes item nautici, & cantus ac uerbum nauticum: item etiam res & exuuiæ nauticæ Ciceroni dictæ sunt, & nauticum celeuma apud Martialem, ut te uaria quæ in dictionario sunt exempla docere poterunt.

Τὸ ναυτικὸν, Græci à naue deduxerũt, nos uerò Latinum aliud uocabulum non habemus quod illi respõdeat præterquam classem. Est autem classis, ut omnes norunt, nauium multitudo ad pugnam instructa. Veneti armatam uocant, Vne armee sur mer. Dicta autem classis (inquit Seruius) ἀπὸ τῶν κάλων, id est, à lignis. Vnde etiam hodie ligna uulgo pro ipsis nauibus Veneti usurpant. Hinc classiarij dicti milites, qui in nauibus pugnant, & naualem exercitum conficiunt, quæ classis dicitur. Tranquillus in Galba, Nam cùm classiarios, quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat, redire ad pristinum statum cogeret, &c. Thucydides uerò (ut latissime Bayfius ostendit) ναυτικὸν στρατὸν, hoc est, naualem exercitum interdũ appellat: quibusdam etiam in locis, στόλος, ab eodem authore pro classe sumi uidetur.

Supersunt tantùm nonnulla à naue deducta uocabula, quæ nauium damnum & periculum significant: ut sunt naufragium, quod etiam ad alias res metaphoricè traducitur: unde rei familiaris naufragium: & naufragia, ac bonorum direptiones dixit Cicero. Hinc naufragium facere, pro in mari bona & fortunas amittere, uel etiam perire. Item naufragium

gloriæ facere dixt Cicero 7. in Verrem, per metaphorã, pro gloriæ & laudis atque existimationis iacturam facere. Vnde etiam prouerbium, Ex naufragio tabula, ad quæcunque usurpatum, pro subsidio calamitatis & reliquijs quæ ex periculo maximo superfuerunt. Hinc & naufragus deducitur : éstque is qui naue fracta in mari bona amisit. quod etiam per translationem de eo dicitur, qui bona obliguriit & dissipauit. Cicero in Catilinam, Quòd si se eiecerit, secúmque suos eduxerit, & eodem cæteros undique collectos naufragos aggregauerit, extinguentur. Cætera autem eiuscemodi uocabula quando & facilia sunt, & in dictionario passim reperiri possunt, studiosis disquirenda relinquimus, hoc enim pacto breuitati studendum. Recensendæ sunt nunc aliquot locutiones à nauium significatione deductæ, quibus nostri adolescẽtuli sua studia non parum iuuare poterunt.

Verba nauibus propria.

AEDificare naues non impropriè dicimus, quando haud secus ac domus ipsæ lignis ac trabibus uarijs compinguntur, edifier des nauires. Plautus, AEdificat nauẽ gerariam. AEdificare quoque classem, pro facere : & ornare, pro instruere dixit Cicero pro lege Manilia, Qui (inquit) postquam maximas ædificasset, ornassétque classes.

Construere nauem, eadem propemodum loquendi forma, qua ædificare dixit Cicero de Senectute.

Facere item nauem pro eodem elegantissime sumi uidemus, faire vne nauire. Plautus in Milite, Nam

(inquit) mi patrone hoc cogitato ubi probus eſt architectus, bene liniatam ſi ſemel carinam collocauit, facile eſt nauem facere. Cic. 3. *in* Verrem, De*cem enim naues iuſſu* L. Muren*æ populus* Mileſ*ius ex pecunia uectigali populi* R*omani fecerat.*

F*undare item naues, pro nauis fundamenta facere dici à* P*lauto uidemus,* F*acile (inquit) eſt nauem facere, ubi fundata, & conſtituta eſt: nunc hic carina ſatis & fundata eſt bene, & ſtatuta.*

Q*uin & fundare naues pro affirmare (quod dicitur) & anchoris proiectis, uel in portu uel etiam in medio mari firmas retinere uſurpauit* V*irgilius 6.* AE*neid.* -*tum dente tenaci*

A*nchora fundabat naues.*

F*abricare quoque nauigia non inuenuſtè dixit* Co*lumella, pro naues ædificare,* No*nnulli (inquit libro* 5.) *ſtrenuè fabricant nauigia, nec conſummata perinde inſtruunt armamentis.*

I*nſtruere autem naues aut nauigia, eſt adornare, & ad onus aut bellum aut uecturam apparare*, affuter vne nauire. C*æſar* 3. *belli ciuilis,* V*atinius qui* B*runduſio præerat, tectis inſtructiſque ſcaphis elicuit naues* L*ælianas: hoc eſt, ad pugnam inuitauit, pertraxit, adduxit: nam id propriè naues elicere eſt.* S*ed ut ab inſtructa naue non diſcedamus,* L*iuius decadis tertiæ libro primo uim uocabuli exprimere uidetur, cùm aptas inſtructáſque remigio naues uocat, hoc eſt, quæ paratæ in aqua erant, & à* G*ræcis* ἐνήρεις *unico* ν *dicebantur.* N*ihil igitur aliud eſt nauem inſtruere, quàm ita apparare & adornare, ut tutò in aqua nauigare poſſit.*

Armare naues, est ad bellum instruere & militibus atque adeò instrumentis bellicis communire. Cæsar secundo belli ciuilis, Massilienses post superius incommodum, ueteres ad eundem modum ex naualibus productas naues refecerant, summáque industria armauerant, &c. Quo exemplo & quid sit producere naues ex naualibus, mettre les nauires en mer: *& quid sit naues reficere,*racouſtrer les nauires: *& quid sit armare naues,* armer les nauires, *cognitu facillimum est: unde armata nauis,*vne nauire de guerre: *& armata nauigia dicta sunt.*

Contegere naues, siue etiam tegere solebant antiqui catastromatis, ut postea docebimus, ne facile in eas hostes insilire possent, & ad tutius munimentum præsertim in bello: nam antiqui tantum ex prora & puppi pugnabant. Contegebantur præterea (quemadmodum Cæsaris exemplo patet) ut qui in eis erant remiges, ab ictibus telorum innoxiores essent: Piscatoriásque (inquit loco suprascripto) adiecerant atque contexerant, ut essent ab ictu telorum remiges tuti. unde tectæ naues, quas Græci καταφράκτους uocant, & piscatoriæ naues contectæ, item etiam scaphæ tectæ à Cæsare dictæ sunt, ut suis locis postea latius explicabimus.

Consternere quoque naues, pro contegere dixerunt authores fide digni. Vnde constrata nauis eadem dicebatur quæ & contecta, cui aperta nauis opponebatur, ut ex Auli Hirtij exemplo patet, dum ait, Magnóque impetu quatuor ad eam constratæ naues & compiures apertæ contenderunt, cui coactus est Cæsar ferre subsidium.

Consternere quoque paludes pontibus ad traducẽdos exercitus dixit idem Hirtius *de bello* Gallico, Nisi (*inquit*)*flumen* Ligerim,*quod erat ponte propter magnitudinem constratum,copias traduxisset, &c.*

Alioqui *tempestates & procellæ marinæ dicuntur naues consternere, cùm per uentorum & fluctuum impetus demerguntur & deprimuntur : unde constratas naues tempestatibus dixit* Cæsar *tertio belli ciuilis.*

Deprimere *autem naues propriè dicuntur hostes, cùm impetu maximo in eas insilientes cogunt submergi,*enfondrer les nauires en l'eaue. *Cæsar primo belli ciuilis*, Magno *numero (inquit)* Albicorum *& pastorum interfecto, partem nauium deprimunt, nonnullas cum hominibus capiunt,reliquas in portum cõpellunt.* Quòd *autem* Cæsar *uerbo* Depressit *usus est,* Græci κατέδυσε *dixerunt.* Hinc *depressa classis dicta* Ciceroni *secundo de diuinatione, pro nauium multitudine & exercitu nauali submerso,*vne armee de mer deffaicte & enfondree ou mise a fons.

Trahere *nauem remulco, locutio est à* Latinis *authoribus ad* Græcorũ *formam usurpata, id enim* Græci ῥυμουλκεῖν *uno uocabulo dicunt.* Liuius *quartæ decadis libro 7,* Contemplatus Eudemus *hostes claudas mutilatásque naues apertis nauibus remulco trahentes uiginti paulò amplius integras, abscedentes à turri prætoriæ nauis, silentio facto, exurgite (inquit) &c.* Id *uerò mea sententia significare uidetur, magnis nisibus conari, ut uel depressa, uel submersa, uel clauda, aut mutila nauis in tutum reducatur.* Caue *autem ne cum quodam existimes remulcum esse paruam na-*

uem siue scapham: id enim prorsus alienum est à rei ueritate, quemadmodum latius sequentibus docebimus, in pontonum militarium tractatione.

Esse praeterea in salo eleganter nauis dicitur, & esse in portu uel litore, quemadmodum dixit Virg. posteriora notissima sunt. Prius autem dicitur, cùm procul à portu anchorae iaciebantur, ut naues retinerent, nempe in salo. Salum autem Polybius sumpsit pro eo quod Itali uulgò spiaggia *uocant, id est locum minimè portuosum, sed in quo tamen naues cõmorari queãt. Esse autem in salo Graeci* ἀποσαλεύειν *dicunt, ut latissime docet Baysius in anchorarum explicatione. uulgus nostrum uocat,* Amarer.

Frangere nauem eleganti metaphora dixit Terentius in Andria pro naufragium facere, uel pati: Nauem (inquit) is fregit apud Andrum insulam. Atque inde quidem naufragium deductum est.

Descendere ad naues siue ad nauiculas dixit Cicero, pro uenire ad litus, & locum in quo stant nauiculae ut conscendamus. Nos (inquit 4. Academicarum quaestionum) ad nauiculas nostras descendimus.

Conscendere autem nauem, monter sur mer, *eleganter dixit idem Cicero: Quid enim (inquit) conscendens nauem sapiens, num comprehensum animo habet atque perceptum se ex sententia nauigaturũ? Iuuenalis, Si iubeat coniunx, durum est conscendere nauem.*

Quin & conscendere pro eodem simpliciter etiam dicimus, quod Graeci ἐπιβαίνειν *dicũt. Tullius ad Quintum fratrem, Tu uelim quamprimum conscendas, adméque uenias.*

Subducere naues dicimur, cùm eas ex ipso mari uel

portu in terram aut nauale trahimus aut abducimus, ut uel tutiores ſint, néue corrumpantur dum illis opus non habemus, uel etiam ut in terram abductæ reficiantur aut reſarciantur. Vnde Cæſar 3. *belli ciuilis,* Naues *reliquas, ſi uellet, ſubduci & refici iuberet.* Virgil. *Quaſſatam uentis liceat ſubducere claſſem.* Et, *Vrbem quam ſtatuo ueſtra eſt, ſubducite naues.* Hoc *eſt, in terram uel nauale ſubtrahite, ut reficiantur.* Liuius *dec.3. lib.3,* Subductæ *naues dum reficiũtur, aliquantum temporis contriuerunt.* Sed *iam ad generaliora nauium uocabula neceſſe eſt ut deueniamus.*

Nauium nomina quæ latius patēt.

I*Ndita ſunt ab antiquis, ipſis nauibus uaria nomina, prout ijs uel ad uarios uſus utebãtur, uel uaria miniſteria nauibus obibant.* Q*uinetiam ſunt alia quædam externa, à quibus naues peculiaria nomina ſortitæ ſunt, quæ ſequẽti ſermone explicemus licet, quẽadmodum iam ſumus polliciti.*

Ab uſu, naues uarias appellationes mutuatæ ſunt, ut fluuiatiles, quibus per flumos merces circunferimus, aut ipſi circunuehimur: hoc eſt, quibus ſuper fluuijs utimur, commodi noſtri cauſa: quemadmodum etiam marinæ & maritimæ à Iureconſulto *dictæ.* Onerariæ *item, quibus ad onera huc atque illuc geſtanda tam ſuper ipſo mari, quàm ſuper fluminibus utimur.* Harum *autem nonnullæ à rebus quas geſtant, nomina mutuantur, unde palearum nauem dixit* Cicero *primo de finibus, qua uehitur uendi-*

túrque palea: Veneti uocant burchio da paglia. qua etiam forma nos naues lignarias dicere poterimus, batteaulx a bois: & frumentarias, batteaulx a bled. Cæsar tertio de bello ciuili, Nocturno itinere non intermisso, comitatu equitum triginta, ad mare peruenit, nauémque frumentariam conscendit: Græci autem naues frumentarias σιτηγοὺς, καὶ φορτηγοὺς, καὶ ὁλκάδας uocant, quod postremum uocabulum hodie Flandri retinent, ut latissime ostendit Bayfius. Item etiam carbonarias, batteaulx a charbon. Venetijs autem, ratibus carbonem circunferunt, unde rates carbonarias uocant, zattare da carbon. Sed & Veneti pro urbis ministerio, farinarijs nauibus (non enim pistrinis in urbe uti possunt) item etiam lutarijs, ad eluendos canales utuntur: & aquarijs, ad dulcem è fluminibus aquam in ipsam urbem aduehendam, ut uendant cisternas non habentibus: quas naues burchi da aqua uocant. Vinarijs quoque nauibus antiquos usos testatur Vlpianus in l. uulgaris. ff. de furtis: in quibus illa uina circunferuntur & infunduntur, quæ nullam aeris uim metuunt. quod & Venetijs aliquando factum uidimus.

A ministerio aut officio quod præstant quædam naues nomina habent: siue id sit in bello super ipso mari (unde bellicæ naues dictæ) aut etiam super ipsis fluminibus, unde piscatoriæ appellatæ, & actuariæ, siue actuarioli, de quibus postea suo loco: quanquam etiam super ipso mari ministerio sint piscatoriæ. Ea forma appellatæ sunt onerariæ, ab oneribus ferendis, de quibus postea suo loco dicemus, & hippagogi uel hippegi, ab equis uehendis: item à Græcis

prophylacides, & speculatoriæ, quæ & exploratoriæ dicuntur: item hoplitagogi, hoc est, naues paratæ ad uehendos milites armatos: & infinita alia huiusmodi nomina quæ in ipsis Bayfij uigilijs à Græcis desumpta uidebis.

A cursu uel statione dictæ meteori, ploimi, pelagiæ, ephormusæ, quorum exempla uideto apud Bayfium ex Græcis authoribus desumpta.

A capacitate dicti myriophori, quæ naues erant capaces talentûm decem milium. Nos alia ratione per tónellos efferre solemus, dicentes nauem esse mille ducentorum tonellorum, uel eo amplius, batteau ou nauire de deux cents tonneaux ou plus.

A forma & figura quædam nomen habent: unde aliæ longæ ad onerariarũ differentiam dictæ: aliæ tectæ, quæ & constratæ: quibus oppositæ sunt apertæ & inanes. Aulus Hirtius, Magno impetu (inquit) quatuor ad eam constratæ naues & complures apertæ contenderunt, cui coactus est Cæsar ferre subsidium. Aliæ turritæ dictæ, quòd turres ad pugnam instructas tam in prora quàm in puppi haberent, eásque ad librã impositas. Vnde Plinius lib. 32, Sed armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur uelut è muris. Aliæ præterea rostratæ dictæ. Nam (ut inquit Liuius) nonnullæ naues rostris carebant. quæ quid sint, suo loco docebimus. Ea uerò rostra quia ex ære fiebant, æratis etiamnum nauibus nomen dederunt. Cæsar 2. belli ciuilis, Interim L. Nasidius, ab C. Pompeio cum classe nauiũ sedecim, in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio Massiliensibúsque subsidio missus. Aliæ item magnæ aut paruæ

dictæ à forma. Horat. *in episto.* -ego (*inquit*) *utrum Naue ferar magna an parua ferar, unus & idem.*

A remorum multitudine, & uariјs ordinibus dictæ biremes, triremes, quadriremes, quinqueremes, & multæ eiusmodi, de quibus pòstea latius: quòd binos, ternos, quaternos & quinos remorum ordines haberent: nam quæ unico tantùm remorum ordine utebantur, Græcis *monocrota appellatæ sunt.*

A principatu quem super alijs quædam in classe naues habent, nomina traxerunt: ut prætoria, in qua prætor est, quam Græci ναυαρχίδα *uocant, uulgus nostrum*, capitaneam *appellat. qua forma imperatoriam nauem & regiam dicere possumus, quemadmodum* Angli *maiorem suam nauem, reginam appellarunt.*

A principibus qui eas extruendas curarunt dictæ Seleucides. *Qua ratione etiam nobilem illam nauem quæ à* Rege *nostro ad* Gratiarum *portum ædificata est,* Franciscida *nominare* Bayfio *nostro non sine uenustate licuit.*

Ab inuentoribus quædam naues cognomina sua traxerunt, ut quæ Caudicæ *appellantur à* Q. Appio Claudio Caudice: *qui (ut refert* Seneca *in libello de breuitate uitæ)* Romanis *primus persuasit nauem conscendere, & ex caudicibus, hoc est tabulis ligneis, naues primus ædificare docuit.* Codicarias Varro & Marcellus *appellari uolunt, atque ita legunt in* Sallustij *loco quodam: ut non ab* Appio Caudice, *sed ab ipsis tabulis ex quibus ipsæ naues primùm extrui cœptæ sint, nomen deducant.*

A patria & uarijs locis in quibus uel fabricãtur, aut

ex quibus ad nos ueniunt, & transfretare solent: non enim quælibet regio conformem ac propemodum similem habet fabricandi morem: unde fit, ut à uarijs prouincijs, uaria cognomina ipsis nauibus sint imposita. Hinc Σάμαινα dicta, quòd primùm in Samo insula iussu Polycratis Regis ædificata sit: quæ cuius formæ fuerit, discas ex Plutarcho in uita Periclis. Sic quòque dictæ Megarides, Ambraciotides, Hermionides, Chiæ, Leucadiæ, Laconicæ, Italicæ, Sicilianæ, Syracusiæ, Phœnicææ, Milesiæ, & cæteræ id genus, quarũ exempla sunt apud Thucydidem frequentissima. Hac autem forma hodie quoque uulgus nostrum Caracam Britannicam appellat, item Anglicas, Flamingas, Deppœnas, Bononienses naues. Quemadmodum etiam Veneti, Massilianas, Genuenses, Istricas, Rhodias, Creticas, Claudianas, quæ (ut diximus) ex Massilia, Istria, Rhodo, Creta (quam hodie Candiam uocant uulgò) ad eos mercium circunferendarum causa commeant.

Ab insigni quodam quod honestatis uel ornatus gratia ipsi proræ adponi solebat: quemadmodum in antiquis illis picturis frequenter uidimus: ut à delphinis delphinophori holcades, item ab Iside & Chimæra nonnullæ naues cognomina acciperent. Id autem insigne Græci παράσημον uocant, unde Centaurum & Pristim apud Virgilium pro cognomento indito nauibus ab insigni sumere debemus, quòd Centaurũ & Pristim, quæ marina est belua, in puppi gestarent. Solebant enim antiqui cognomenta indere nauibus, & etiam ad proram affigere. Etsi Nonius Marcellus pristim nauem appellatam putet à

similitudine, quòd scilicet ad formam pristium marinarum extructa sit, quæ longi & angusti corporis sunt. Sed iam ad primos nauiũ usus sermonem transferamus, priusquam ad particulares ipsarum differentias digrediamur.

Nauium primus vſus.

NAuium usum primum excogitatum fuisse ad fluuiorum & maris commodam nauigationem nemini dubium esse debet: tum ut per flumina ac mare ipsum, merces, & quicquid nobis ad uictum & alios usus utilissimum est, commodè & tutò huc atque illuc circunferremus: tum ut & piscibus, & (quod omnium est miserrimum) etiã suo generi homines super ipsis aquis insidiari possent, ut iam hodie plures inueniãtur non modò procellarũ, sed etiam telorũ impetu in mari sepulti, quàm fortassis in terra. Sed ita est humano generi à natura comparatum, ut quod sibi maximè esse debuit utile ac commodum, id tandem in deteriorem usum conuertat. Sic ferri, sic lapidum, ac lignorũ usus: ita denique optima ingenia, quæ suo generi conseruando & amando nata esse debuere, in sui generis abolitionem & perniciem quotidie conspirant, & uel optima quæque in deteriora conuertunt. Sed ad rem.

Ante naues repertas (inquit Plinius lib. 7.) ratibus nauigabatur inuentis in mari rubro inter insulas, à rege Erythra. Quanquam etiam trabibus solis nauigare super ipso Tyberi antiquos consueuisse idem referat lib. 3. cap. 5, Sed (inquit) Tyberis propter aspera & confragosa, ne sic quidem præterquam trabibus longè

meabilis fertur.

Ratis autem quid sit ita docet Budæus: nauigium esse temere factum & inconditum, ut sunt trabes cõnexæ & sine fabrica compactæ, quæ nauigij uicem præbent, id est (ut Suidas inquit) ἡ ἐκ τῶν τυχόντων πεποιημένη ναῦς. *Ponitur tamen & pro ponte, uel etiam loco fluminis quoquomodo iuncto, eodem authore. Cicero ad Atticum, Circunuallatum esse Pompeium ratibus, etiam exitus portus teneri. Græci autem ratem* τὴν σχεδίαν *uocant. Festus, Schedia (inquit) genus est nauigij inconditum, id est, trabibus tantùm inter se nexis factum. Vnde mala poëmata Græcis Schedia appellantur. Quinetiam schediõ à Græcis dicitur extemporaneum, id est quicquid inelaboratum, quicquid temere factum est, nec satis confectum. A rate autem ratiarius deducitur, quemadmodũ à naue nauicularius, non quidem opifex dictus, sed negotiator. quæ uocabula apud Iureconsultos plærunque inueniri solent.*

Ratibus postea ad uadorum stagna superanda & fluctus compescendos ac supprimendos cœpta sunt adhiberi latera, quæ Græci πλευρὰς *uocant: item etiam carinæ. carina autem Græcis* τρόπις *dicitur: unde Virgil. 2. Georg.*

Et pandas ratibus posuere carinas.

Inde uero conto & pertica rates agitari cœptæ, quapropter ea nauigia à Græcis κοντωτὰ *appellata, quòd contis propellerentur, quemadmodum eleganter ostendit Bayfius exemplo Diodori lib. 19. ubi de successoribus Alexandri & de Eumene.*

Cœperunt postea antiqui trabem uel lignum ex sin-

gulis arboribus excauare, quo per flumina circumueherentur, cuiusmodi nauigia super Rhodano nonnunquam Lugduni me uidisse memini. monoxylæ lintres à Plinio dicuntur in sexto, quòd uno tantùm ligno fierent. Alueum uocauit Liuius dec. 3. lib. 1, Nouásque (inquit) alias primùm Galli inchoantes cauabant ex singulis arboribus: deinde & ipsi milites simul copia materiæ, simul facilitate operis inducti, alueos informes, nihil dummodo innare aquæ, & capere onera possent curantes, raptim faciebant. Idem in primo, cùm de Remo & Romulo loquitur, Tenet (inquit) fama, cùm fluitantem alueum, quo expositi erãt pueri, tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus qui circa sunt, ad puerilem uagitum cursum flexisse. Quẽ alueũ Plutarchus in Romuli uita scapham appellauit: Impositis (inquit) in scapha pueris, descendit in fluuium ut proiecturus. Scapha enim non solùm nauiculam significat, sed etiam uas concauum: quod etiam nunc nomen retinet apud Venetos, ut suo loco docebimus. Cæterum, ut ad prius uocabulum redeamus, Alueum Liuius, item etiam Salustius pro carina, hoc est nauis fundamento posuere. Locus Liuij est decadis tertiæ lib. 3. dum ait, Ibíque adeò non armamenta modò, sed etiam aluei nauium quassati erant. Locus uerò Sallustij est in bello Iugurthino, Híque (inquit) alueos nauium inuersos pro tugurijs habuere. Sed de his plura, cùm de partibus agemus.

Fiebant & apud antiquos aliæ nauigiorum formæ, nondum scilicet inuenta uera ædificandarum nauium ratione. cæsis enim salicibus, aut uiminibus con-

textis, & corio uel aluta circunuolutis quidam nauigarunt : unde Cæsar primo belli ciuilis , Reliquum (inquit) corpus nauium uiminibus contextum corijs integebatur . huiuſmodi autem nauigiorum formam late deſcribit Herodotus in Clio . quem locum eleganter notat Bayſius , ut ex eo facile intelligas etiam paſtoribus antiquis plurimum fuiſſe induſtriæ . Quinetiam Plinius lib. 16 . cap. 40 refert , Germaniæ prædones ſingulis arboribus cauatis nauigare, quarum quædam & triginta homines ferunt.

Contexebantur itidem naues ſuper Nili paludibus Plinij ætate, papyro, ſcirpo & arundine, quemadmodum ipſe recenſet lib. 6. cap. 22. Papyrum autem ſiue papyrus (utrunque enim dici poteſt) ut refert idem Plinius lib. 13 . cap. 11. naſcitur in AEgypti paluſtribus, aut quieſcentibus Nili aquis, cuius frutices radicibus (quæ cùm obliquæ ſint, brachialem craſſitudinem habent, lateribúſque ſunt triangulis) pro ligno utuntur incolæ, non ignis tantùm gratia, ſed ad alia quoque utenſilia uaſorum. Ex ipſa quidem papyro nauigia texunt, & è libro uela, tegetéſque, necnon & ueſtem, & ſtragula, & funes. Præparantur ex eo chartæ diuiſæ acu in prætenues, ſed quàm latiſſimas phyluras. A papyro igitur frutice, charta eſt papyrus appellata : quòd ſcilicet primùm ex papyro fieret . Scirpus autem (ne id etiam inexplicatum relinquamus) leuis iunci & ſine nodo ſpecies eſt, naſcitúrque in paluſtribus. unde prouerbium in anxios nimíſque diligentes & meticuloſos, Nodum in ſcirpo quærere. Scirpo igitur etiam naues contexi poterant, unde Plauti dictum in Aulularia, Quaſi pueri (inquit) qui nare di-

ſcunt, ſcirpea inducitur ratis. Arundo uerò quid ſit, tam notum eſſe puto, quàm quod omnibus eſt notiſſimum.

Cæterum, ut ſemel abſoluam, id eſt imprimis ſciẽdum, uariam antiquis temporibus non ſolùm nauigandi, ſed etiam naues conſtruendi rationem fuiſſe, prout uaria uarijs in locis fuerunt ingenia. Quemadmodum etiam hodie accepimus ab ijs qui in exteras illas inſulas, quas nouas appellant, quotidie adnauigãt, non eſſe hominibus illis eandem nauigandi formam, quæ nobis eſt: eóſque noſtra, nos ſua nauigia plurimũ admirari ſolere. Sunt enim qui truncis arborum inſidentes, & altera manu duce natura remigantes, etiam in altum prouehuntur. Sunt qui pari ratione oblongam trabem, eámque rotundam, terni, interdum etiam quaterni obequitantes, longius per mare diuagantur. Quod certè quis non admirabitur? nondum autem illis eſt comperta nauium conſtruendarum ratio. At ubi primùm auditum fuit nauis conſtruendæ artificium, tum à proximis regionibus ad remotiores tandem ars ipſa delata eſt. Itaque factum, ut intra paucos annos eadem multis regionibus facta fuerit nauigandi ratio. Quæ multis alioqui incomperta eſſe poterat, niſi id unius artificio primùm inuentum, deinde ab omnibus comprobatum fuiſſet. Dubium itaque non eſt, quin ante nauem primò inuentam, quæque regio ſuam ſibíque propriam nauigandi formam haberet.

Sed ut poſt uaria nauigandi genera, de prima naue quidpiã dicamus, Philoſtephanus apud Plinium in ſeptimo naturalis hiſtoriæ author eſt, Iaſonem primùm

nauigasse longa naue: quæ quidem, ut refert Diodorus Siculus *in quinto, primùm fuit circa* Pelium *ædificata, excedebátque & magnitudine & reliquo apparatu omnia nauigia*: Homines *enim (inquit) illius ætatis, ratibus ferè & paruis acatijs uehebantur.* Vocata *est autem hæc nauis,* Argò *(inquit idem author) ut nonnulli fabularum scriptores asserunt, ab* Argi *cuiusdam fabri naualis nomine: qui quidem eam extruxerat, simúlque nauigarat, quod tamen uerũ esse affirmat* Apollonius *in primo* Argonauticũn. Etiamsi Pherecides *dicat eam nomen sumpsisse ab* Argo *filio* Phryxi. Sunt *& alij qui existiment id naui nominis ob eximiam illius celeritatem inditum:* ἄργον *quippe aiunt celerẽ ueteres appellauisse.* Cicero *autem primo* Tusculanarum *quæstionum eam dicit nominatam* Argò, *quia* Argiui *in ea delecti uiri, uecti petebant pellem inauratam arietis. hæc tantùm habuimus colligenda ex* Bayfij *uigilijs de primæ nauis constructione. nunc uerò ad particulares nauium differentias descendamus.*

Nauium particulares differentiæ.

Absoluta nauium generaliori descriptione, ad particularia nos transire oportet, & ea nauium uocabula explicare, quæ aut à remorum multitudine, aut forma, aut etiam magnitudine ipsis primò fuerunt indita.

Nauium *itaque aliæ longæ, aliæ rotundioris formæ: atque hæ quidem actuariæ appellatæ uoluptatis gratia ædificabantur, remisque quemadmodũ illæ agi solebant, maioribúsque nauibus inseruiebant, & fluuiorũ*

commoditatibus. Aliæ uerò superioribus longè maiores atque oneribus ferendis accommodatæ (unde onerariis nomen inditum) uelis tantùm non etiam remis per magna maria discurrebãt. atque hæ quidem sunt primæ nauium particulares differentiæ, quas ut rursus in alias subdiuidamus, suo ordine persequi ac describere iterum oportet. Et à longis nauibus incipiendum.

Naues longæ.

L*Ongarum nauiũ appellatione complectemur eas, quas uulgus nostrum uocat*, Des galees ou des fustes: *sed illæ ampliores, hæ uerò expeditiores, quemadmodum sequenti sermone docebimus. Cæterũ longas naues remis semper incitari, onerarias uerò nequaquam, planum fecit* Bayfius *ex* Cæsaris *quarto cõmentariorum & Ciceronis duodecimo epistolarũ authoritatibus, ut iam id amplius alia disputatione non egeat. Tantùm hoc addemus, longis nauibus etiam uela addi solere ad celeriorem motum, quibus utimur afflantibus uentis, ad remigantium laborem relaxandum. Interdum etiam quando maximè celeritati danda est opera utrisque, uti sæpe uidimus, unde natum prouerbium, ut de re quam omnibus uiribus contendimus ut absoluamus, & celeriter perficiamus, Velis remi'sque contendere dicamur.*

Longas naues Græci μακρὰ πλοῖα *uocant. Romani autem priusquam primùm* Messanam *traducerent, &* Carthaginense *bellum gererent, nunquam longis nauibus aut constratis usi fuerant. Eo uerò tempore quo primùm* Pop. Rom. *statuit è* Repub. *esse cum* Carthagi-

nensibus de Siciliæ atque adeò maris interni imperio naualibus copiis dimicare, tum centum & uiginti nauium classem ædificandam curarunt, in qua centum fuere quinqueremes & uiginti triremes.

Constratæ autẽ & tectæ naues inter lõgas connumerandæ sunt. súntque triremes, quadriremes, uel quinqueremes, ita contectæ & communitæ (præsertim ad latera) ut facillime pugnantes ex iis, tanquam parietibus quibusdam retro stantes, hostibus nocere, minus ab hostibus lædi possint: nam antea ex prora tantùm & puppi pugnabatur. His autem opponuntur aliæ naues longæ non tectæ, quæ ob id apertæ à Cicerone dictæ sunt: Poteróne (inquit ille in Verrẽ act. 7.) in eos esse uehemens, qui naues inanes non modò habuerunt, sed etiam apertas? in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam nauem, & minus exinanitam? loquitur de quadriremi centuripina. Atqui naues longas tectas (inquit Cæsar) inuenere Thasij. Eæ uerò à Græcis κατάφρακτα dicuntur: apertæ uerò ἄφρακτα, quibus Rhodij plurimum utebantur. Vnde Cicero 5. ad Atticum, Nos (inquit) Rhodiorum ἀφράκτοις cæterísque longis nauibus, tranquillitates aucupaturi eramus.

Longis nauibus nomina potissimum indita sunt antiquis, à remorum ordinibus, quibus agebantur, ut celeriores essent. quæ enim plures remos habebant, eæ celerius discurrebant. Itaque particularia hæc nauiũ longarum nomina nobis nunc explicanda sunt.

Monocrota, Græcis naues dicebantur, quæ unico tantùm remorum ordine agebantur, quemadmodum ex Strabonis loco libro septimo ostendit Bayfius, Vn

brigãtin ou fregate qui n'ha qu'une rame a chascun banc. Xenophon *autem in secundo*, μονοκρότους *naues dixit eas, quæ cùm triremes (opinor) essent, propter tamen absentiam remigum, & sociorum naualium, duobus tantùm aut unico per transtra remige incitarentur, cùm tamen possent ternis agi, si adfuissent remiges.*

Moneres *uerò (ne quis fallatur) dicitur ea nauis, quæ cum pluribus quidẽ remis agi soleat, unico tamen interdum per trãstra & sedilia remo, & non binis aut ternis aut etiam pluribus agitatur. Quæ fortasse naues dicebantur celites, translatione sumpta ab equis celitibus de quibus in actuariis dicemus.*

Illæ porrò naues quæ binis remorum ordinibus agebantur, à Græcis *dicrota dicuntur potius, quàm* διήρες, *etiam si apud quendam inueniatur huiusmodi uocabulum: apud probatos enim authores uix reperitur.* Dicroto *autem non solùm* Græci *authores, ut sunt* Polybius *&* Appianus Alexandrinus, *sed etiam* Latini *usi sunt ad* Græcorum *formam.* Tullius *epistolarũ ad* Atticum *libro decimosexto,* Nam *& ipse (inquit)* Domitius *bona planè habet dicrota, súntque nauigia præterea luculẽta* Sexti Buciali, *cæterorúmque: nam* Cassij *classem, quæ planè bella est, non numero.* Idem *libro 5, earundem epistola.* Aphracta Rhodiorum, *& dicrotum* Mitylenorum, *& aliud catascopium.* Romani *autem atque adeò* Latiniores, *pro dicrotis, biremes uocant,* fustes de deux rames a chascun banc. Cæsar *tertio belli ciuilis,* Quatuor *(inquit) biremes subiectis scutulis impulsas, uectibus in interiorem partem transduxit.*

Biremes leues, hoc est, celeres & expeditæ, ab antiquis dictæ, quæ hodie dicuntur fustes legieres. Liuius decadis tertiæ lib. 4, Legati ab Orico ad Marcū Valerium prætorem uenerunt, præsidentem classi Brundusio Calabriáque circa litoribus, nuntiantes Philippum primùm Apolloniam tentasse leuibus biremibus centum uiginti.

Huiusmodi autē biremes celeres aut leues à Liburnis populis Liburnicæ appellatæ sunt, Græcis λιϐυρνίδες. fuerunt enim (inquit Appianus) Liburni alterū Illyriorum genus, qui Ionium mare, & quæ in eo sunt insulas prædabantur celeribus & leuibus nauigiis: unde etiam nunc leues & celeres biremes Romanis Liburnicæ uocantur. Suetonius in Augusto, Tempestate in traiectu bis conflictatus, primò inter promontoria Peloponesi & AEtoliæ, rursus circa montes Ceraunios, utrobique parte Liburnicarum demersa, simúlque eius in qua uehebatur fusis armamentis, & gubernaculo distracto. Quo loco Tranquillus Liburnicas pro leuibus biremibus dixisse uidetur. Quòd autem Liburnicæ non solùm pro nauibus bellicis, sed etiam iis quæ aptæ non essent ad belli conflictum, imò ad præcurrendum potius, & speculandum sumerentur etiam apud antiquos, item & pro iis, quæ catastromata habebant, legito diligenter Bayfij uigilias: non enim dubia hæc omnia, tam breui cōpendio percurrere possumus. Cæterum illud unum addam, Liburnicas naues à poetis Liburnos appellatas fuisse, ea licentia quæ omnibus poëtis est peculiaris ac communis. Horatius in Epodo,

Ibis liburnis inter alta nauium
Amice propugnacula. Lucanus,

Ordine contentæ gemino creuisse liburno.

Erant & aliæ biremes apud antiquos à monocrotis quidpiam sortitæ, ut partim biremes, partim monocrota dici possent: à puppi enim, ad malum usque, binis remis: à malo ad proram, unico remo agebantur: ut hodie quoque uidere est in nonnullis earum quas nostrum uulgus fustas uocat. Eas uerò biremes, Bayfius multis exemplis contendit & probat, à Græcis proprio uocabulo hemiolias appellatas.

Triremis, à Græcis dicta τριήρης, *quæ ternos remorum ordines, siue in altum, siue in longum accipias, habebat.* Galee de trois rames pour banc. *Sunt enim qui contendant remorum ordines in altum su... debere, atque id solo tantùm antiquarum picturarum exemplo, quarum similitudines in birenubus & triremibus uidebis apud Bayfium. Itaque totidem essent tabulata quot ordines. Sed & in suam sententiam adducere uidētur, qui ita sentiunt locum Lucani in tertio, ubi de prætoria naue Bruti loquitur. ita enim inquit,*

Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus senis agitur, molémque profundo
Inuehit, & summis lōge petit æquora remis. *Vnde cōiiciunt summos remos lōgiores fuisse inferioribus, atque inde inferunt remorum ordines in altum & sublime sumi solere. Pugnat autem ex aduerso Virgilij locus in quinto, ubi de Pristi loquitur,*

-triplici pubes quam Dardana uersu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

Atqui si in altum & sublime remorum ordines sumi deberent, quo pacto quæso coniicere possemus, factas atque ædificatas fuisse quadraginta, & quinquaginta

ordinum naues, de quibus mox suis locis dicturi sumus? dubium non est, quin ipsa moles cælum ferè contigisset. Sed non est picturis tanta adhibenda fides, ut ipsa rerum forma ac ueritas tandem ignoretur. Reuertamur ad triremem.

Triremem primus inuenit apud Græcos Aminocles Corinthius authore Plinio: ad quod etiam Thucydides in primo accedere uidetur, dum ait, Triremes primùm apud Corinthum ædificatas fuisse. Cætera latius habeto ex Bayfio.

Pistris, siue mauis cum Polybio pristim appellare, triremium leuium nomen erat. Ita enim triremes leues à celeritate appellatæ, galees legieres, Veneti uocant, galee suttil: formámque, atque adeò nomẽ sumpserunt à belua marina, quæ etiam Pristis dicitur. E'stque (ut inquit Plinius) longi & angusti corporis, unde celerrime per aquam moueri ac currere traditur. Virgilius in quinto,

Velocem Mnestheus agit acri remige pistrim.

Nisi mauis deductũ nomen potius ἀπὸ τοῦ πρίεσθαι Græco uocabulo, hoc est, ab asseribus sectis, propterea quòd ita fieret huiusmodi nauis.

Trieremioliæ autem naues à Græcis dictæ, quæ infra magnitudinem iustarum triremium erant: quẽadmodum hemioliæ, quæ infra magnitudinem biremium: ut apertissimè ostendit Bayfius ex Appiano. Etsi Polybius libro 16, trieremiolias uocare uideatur eas, quæ non tot remis agerentur, quot iustæ triremes. Ait enim, Cum his autem nouem trieremioliæ, & triremes tres erant. Sed hæc de triremibus sint satis.

Quatuor ordinum nauis à Græcis τετρήρης, à La-

tinis quadriremis dicitur, galee de quatre rames pour banc. *Tullius septima in* Verrem, *Princeps* Cleomenes *in quadriremi* Centuripina, *malum erigi, uela fieri, praecidi anchoras imperauit. Quadriremem autem primi instituerunt* Carthaginenses *authore* Aristotele, *&* Plinio*: & maximè omnium aptae erant ad contegendum & consternendum, eo quòd catastromata facile admitterent.*

Triremibus *si binos ordines addideris, quinqueremem facies, quae à* Graecis πεντήρης *dicitur*, galee de cinq rames pour banc. *Caesar tertio belli ciuilis*. *Similiter* Vatinius *qui* Brundusio *praeerat, tectis instructisque scaphis elicit naues* Laelianas, *atque ex his lõgius productam unã quinqueremem & minores duas in angustiis portus cepit. Mirum est quòd* Aulus Hirtius *siue* Oppius *in bello* Alexandrino, *uocabulo semigraeco semique* Latino *usus pentiremem appellauerit: quam* Marcus Tullius *ubique, & optimi quique authores quinqueremem uocauerunt. Sed hoc multò magis admiror, quòd uir quidam doctus in suis linguae* Latinae *commentariis locum* Hirtij Iulio Caesari *adscripserit quarto belli ciuilis, cùm alioqui certissimum sit apud* Caesarem *nusquam reperiri posse. Neque uerò quisquam existimet uelim tale quidpiam* Latinae *linguae inter caeteros optimum authorem confinxisse.* Fortassis *non optime transcripserat ex* Baysio *locum* Hirtij, *qui certè sic habet ad uerbum in bello* Alexandrino, *quẽadmodũ ille uir bonus* Caesari *adscribebat:* Capit (*inquit* Hirtius) *ex eo praelio pẽtiremem unam, triremes duas, dicrota octo, compluresq; remiges* Octauianos. *Discãt huius exẽplo quicũque alienas uigilias*

ſibi attribuere uolent, ſaltem tam occultè ſuffurari, ut furtum ſuum adeò manifeſtè deprehendi non poſſit.

Cæterum quod ad ipſarum nauium formam attinet, illud præterea addemus: quinqueremes antiquis altiores ædificari ſolere, quàm ut è quadriremibus, armati milites in eas tranſilire poſſent. Quod uerũ eſſe coniicit Bayfius, *ac colligit ex* Liuij *uerbis decadis tertiæ, libro* 10, *ubi de claſſis* Punicæ *ad* Vticam *ſtationem habente decertatione cum* Romana *loquutur. Locum ipſum diligẽs lector, ex eo fonte, unde hæc deſumpſimus, requirat.*

Sed & hoc inſuper adiungemus, quod ad quinqueremis conſtitutionem antiquam atque adeò rationem ſpectare uidebitur (ut qui hodie tum Venetiis, *tum etiã alibi huiuſcemodi naues extruunt intelligant, quãtum ab antiquo more diſcedant) quadraginta fuiſſe ſedilia in tabulato alterius lateris quinqueremis, quæ quidẽ quadringẽtis remigibus agebatur. Quod uériſſimũ eſſe colligit* Bayfius *ex uerbis* Plinij *lib.* 32, *ubi de echeneide,* Itaque *in altero quinqueremis latere, ducenti erant remiges: qui ſi diſtribuantur in quinos ordines, certè neceſſe eſt quadraginta, ut iam diximus, ſedilia fuiſſe in altero tabulati latere. Quo fit ut quinqueremes antiquorum, celeritate & curſu longè anteuertant quadriremes. Quod apertiſſimè oſtendit* Bayfius *ex* Liuij *uerbis lib.* 8, *tertiæ decadis. Atque hæc tantùm breuiter dicta ſint.* Plura *ex ipſo authoris libro.*

Sex ordinum nauis quando à Latinis *propriè uno uocabulo exprimi non potuit,* Græcum *nomen retinuit,* Hexerem *enim appellauit* Liuius *libro* 7, *quartæ decadis:* Hoſtium *(inquit) claſſis, trium & nonaginta*

nauium fuit: maximæ formæ naues, tres hexeres habebant, duas hepteres, galee de six rames pour banc. *Hexerem autem propriè & eleganter descripsisse uidetur Lucanus in tertio, ubi de prætoria naue Bruti sic loquitur,*

Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus senis agitur, molémque profundo
Inuehit, & summus longè petit æquora remus.

Hepteres quoque, quæ septem ordinum nauis est, galee de sept rames pour banc. *etsi Latinè septiremis dici potuit, quemadmodum uertit Sipontinus in Polybio, tamen hoc uocabulo nemo probatus author unquam usus est: adeò Græca uocabula Latinis arrisere, quando huiusmodi formæ nauium inuentum etiam Græcorum fuit. Liuius quartæ decadis lib. 7, Maximè exterruit hepteres regia à multo minore Rhodia naue uno ictu demersa.*

Eadem propemodũ ratione, quæ octo ordinum nauis fuit, à Latinis nullum nomen sortita est, sed Græco uocabulo Octeres potius appellata. Cuius uocabuli plurimus fit sermo apud Athenæum, galee de huyt rames pour banc.

Nouem ordinum naues Græci Enneres appellarũt, quemadmodũ ex multis Diodori Siculi exemplis probat Bayfius. Cùm autem simplici, n, Eneres scribunt, certè iam non amplius nouem ordinum, sed instructas & paratas in aqua naues intelligunt. Quod ex Plutarchi loco in uita Antonij ostendit Bayfius, atque id quoque superius iam retulimus, ubi de instructa naue loquebamur. Nouẽ autem ordinum naues multas habuisse Philadelphũ Regẽ scripsit Athenæus in quinto.

Deceres, Græcis, nauis dicta, quæ decem ordinum esset, nos deciremes uertere poterimus, galee a dix rames pour banc. *Strabo in septimo geographiæ, Sunt & naualia in quibus Cæsar undeuiginti naues decimarum nomine dedicauit, ab uno remorum ordine usque deciremes.*

Quas præterea Græci Hendeceres uocant, Latini undeciremes appellare possunt, galees de vnze rames pour banc. *Plinius libro 16. cap. 40, Maxima (inquit) ea in Cypro traditur ad undeciremem Demetrij succisa, centumtriginta pedũ longitudinis, crassitudinis uerò ad trium hominum complexum. De cedro loquitur, qua reges in AEgypto ac Syria inopia abietis ad classes feruntur usi.*

Naues ad duodecim ordines (inquit Plinius) primus instituit Alexander Magnus: eas autem Græci δωδεκήρεις uocant, galees de douze rames pour banc.

Tredecim & quatuordecim ordinum naues permultas habuisse Philadelphum regem, refert Athenæus in quinto.

Quindecim ordinum nauis, πεντεκαιδεκήρης Græcis dicta, si Philostephano credimus: à Ptolemæo Sotere primùm instituta fuit. Plutarchus autem huius nauis inuentionem adscribit Demetrio, Antea enim (inquit) neque quindecim ordinum nauẽ, neque sedecim quisquam hominum nouerat. Sedecim autem ordinum nauis à Græcis ἑκκαιδεκήρης appellata est.

Atque, ut in pauca conferam, uiginti & triginta ordinum naues habuisse Philadelphũ regem scribit Athenæus loco superius adducto.

Quadraginta quoque ordinum nauem ædificandã

primùm curasse Ptolemæum Philopatorem refert Plutarchus in Demetrio: in longitudinem quidem productam ad cubitos ducẽtos octoginta, altitudine autem ad summitatem usque nauis duodequinquaginta cubitorum. Ea uerò τεσσαρακοντήρης Græcis dicta est: cuius longiorem descriptionem fecisse uidetur Athenæus in quinto dipnosophistῶn. quem locum refert Bayfius ad integrum.

Naues onerariæ.

DE *longis nauibus abunde diximus: de onerariis paucis differendum. Quæ onerariæ dictæ, quòd essent oneri ferendo idoneæ,* batteaulx ou nauires de charge, ou batteaulx marchans. *Qua ratione à Græcis, & maximè Polybio in quinto φορτηγοὶ appellantur: φόρτον enim Græcis onus, & φορτηγὸς baiulus mercenarius dicitur qui onera circunfert. Hinc fit ut Thucydides in sexto φορτηγικὸν πλοῖον dicat. Vnde etiam à Plauto nauis geraria nominata, quam Liuius onerariam uocauit, AEdificat (inquit) nauem gerariam. Cæsar grauem nauem appellat,* vne grosse nef. *Huiusmodi autem graues, Græcis βαρεῖαι dicuntur, ad leuiorum nauium differentiam, quæ eisdem κουφόπρεαι appellantur.*

Holcas holcadis, ab Appiano in quinto de bellis ciuilibus, & Thucydide in sexto, pro naue oneraria & mercibus onusta sumitur, ab helco, traho, quia trahi debeat: aut quòd grauis & ponderosa sit. nam hoc quoque significat ἕλκω. ut ἕλκει τρία τάλαντα, appendit tribus talentis, sed hoc puerorum causa obiter dictum

ſit. Vulgus Flandrorum, holcadarum adhuc hodie nomen retinet, uocant enim illi des hourches.

Σκευοφόρους naues onerarias uocauit Appianus in quinto, quòd ſarcinis quibuſcunque & inſtrumẽtis geſtandis idoneæ eſſent. qua forma etiã σκευοφόρα κτήνη Græcis, iumenta ſarcinaria & clitellaria appellantur. Noſtrum uulgus, quantum exiſtimare potui, id genus nauigij à forma uocat vne cornemuſe: *quòd à prora ueluti cornu quoddã habeat, aptúmque ſit ad omnia transferenda.*

Onerariæ autem ad uehendum frumentum aptæ, à Græcis σιτηγοὶ dicuntur. ὁ σῖτος enim frumentum eſt: à Latinis autem naues frumentariæ, batteaulx ou nauires a bled. *uulgus nautarum uocat* des muſnieres. *Cæſar tertio belli ciuilis, Nocturno itinere non intermiſſo, comitatu equitum triginta ad mare peruenit, nauémque frumentariam conſcendit.*

Eadem propemodum forma ac ratione loquendi uinarias naues dictas ab Vlpiano credibile eſt in lege Vulgaris, digeſtis De furtis, in quas uinum infunditur, vn vinottier. *Nos quoque Venetiis naues aquarias uidimus, quibus aquam portant, ut uendant ciſternas non habentibus. Quinetiam nobis quemadmodum & illis nõ deſunt naues onerariæ, peculiaribus rebus circunuehendis aptæ, quibus à mercibus quas uehunt nomina imponere poſſumus. Itaque dicemus naues lignarias*, batteaulx a boys, moulliers: *naues arenarias*, batteaulx a ſablon: *naues fœnarias*, foiniers: *naues uinarias*, batteaulx a vin. *cuius generis quæ maiores ſunt, uocantur uulgò* fonſetz & troncz, *quæ mille quingentos interdum uini tonnellos ferũt: quæ autem*

minores, ut trecentos tantùm ferant, uulgus nostrum uocat des lusandes. *Sic quoque naues carbonarias,* batteaulx a charbon, *& cætera id genus propriè, & eleganter dicere poterimus.*

Ὁπλιταγωγὸς ναῦς *Græcis, dicta nauis oneraria quæ armatis militibus ferēdis idonea est.* ὁπλίτης *enim pro milite armato uel grauis armaturæ, & qui in naui ad remum non sedet, usurpatur à* Thucydide, *nos armigerum dicere possumus. nam armiger (ut id obiter dicam) apud* Suetonium, *non tantùm pro eo qui alterius arma gerit (quanquam id etiā propriè significat,) sed etiam pro eo qui armatus est sumitur.*

Militaris quoque nauis oneraria dici potest, quæ milites in bellum gerit. huiusmodi nauem Thucydides *in octauo* στρατιωτίδα *appellat, à militibus gerendis, quos Græci* τοὺς στρατιώτας *uocant: quod nomen uulgus nostrum adhuc hodie retinuit, una tantùm litera commutata: uocat enim* vn stradiot, *leuis armaturæ militē.*

Militares quoque pontones uocat Cæsar *tertio de bello ciuili, naues onerarias, transportandis, transferēdisque militibus aptas.* Pleraſque *(inquit) naues in* Italiam *emitit ad reliquos milites equitésque trāsportandos: pontones, quod est genus nauium Gallicarū,* Lyssi *reliquit, hoc consilio, si fortè* Pompeius *uacuam existimans* Italiam, *eò traiecisset exercitum: quæ opinio erat edita in uulgus, aliquam* Cæsar *ad insequendum facultatem haberet.* Eas *naues Græci atque adeò* Diodorus Siculus *libro uicesimo,* στρατιωτικὰ πλοῖα *appellarunt.* Atque *hæ quidem, quemadmodum & stratioticæ & hippagogi (de quibus postea dicemus) triremibus uel celeribus nauibus, & iis quæ remigio ute-*

bantur adalligatæ, loris & funibus trahebantur: remis enim carebant. quæ quidem actio à Græcis ῥυμουλκεῖν dicta est. Diodorus loco superius adducto, Subsequebãtur autem militares & hippagines ῥυμουλκούμεναι, hoc est, remulco tractæ, ab iis qui remigio utebantur: unde ῥυμουλκοῦντες propriè dicti, tale quidpiam agentes. Quos Liuius atque adeò Cæsar remulco trahentes uocat, locutione à Græcis propriè usurpata. Liuius quartæ decadis libro septimo, Contemplatus Eudemus hostes, claudas mutilatásque naues apertis nauibus remulco trahẽtes, &c. Cæsar in tertio, Ad Oricum uenit, submersámque nauem remulco, multísque contendens funibus abduxit. Quo exemplo palàm tibi est, & quid sit remulco naues abducere, & quid sit remulco trahere: hoc est, naues ad transportandos milites uel equos aptas, funibus & loris ad eas quæ remigio utuntur adalligatas trahere.

Animaduertant autem diligenter nostri adolescentuli, ne in id uitium cum quodam incidant, ut falsò existiment, remulcum esse paruam nauem siue scaphã, qua grandiores naues pertrahantur. Et siquando in commentariis linguæ Latinæ deprehenderint remulcum pro naui descriptum, sciant eum qui rem naualem ex Baysio traduxit, minus intellexisse Græcas authoritates, quæ tum ex Polybio, tum etiam ex Diodoro Siculo in contrariũ sensum adductæ sunt: nempe quæ probent remulco trahere naues, esse id quod superius paulò diximus. Atque id obiter sit præmonitum.

Sunt & alij pontones fluuiatiles in ratium quarundam formam ædificati, quibus passim utimur ad flumina traijcienda: & in quibus etiã equos & quæ-

uis animalia, armatos item milites transuehere possumus. Id autem genus nauigij ratiarij uulgus nostrum charieras uocat, vn bac. Paulus Iurecons. in tractatu Seruitutum rusticarũ, Flumine interueniente uia constitui potest, si aut uado transiri potest, aut pontem habet: diuersum, si pontonibus traijciatur. Græci huiusmodi nauigia πορθμεῖα appellant, hoc est, nauigia ad transfretãdum apta. πορθμὸς enim fretum est. Diod. tamen Sicul. porthmion cum porio confundere uidetur, ut ferè apud Græcos fieri solet. Videto Baysiũ diligenter.

Sed & quidam pontones etiam remis agebantur præter solitum, atque ob id à Plutarcho πορθμεῖα κωπήρη dicti sunt, quasi pontones actuarij, quòd remis incitarentur, & inter actuaria nauigia connumerari possent, quemadmodum suo loco dicemus.

Hippagines siue hippagogi & hippegi naues ab antiquis Græcis dicebantur, transportandis equis tam super flumina, quàm etiam super ipsa maria aptæ & idoneæ, præsertim ad belli usum: uulgus nostrum uocat passecheuaulx. Ea dictione etiam Liuius utitur quintæ decadis libro 4, Fortè (inquit) postero die quàm Sybota classis tenuit quinque & triginta naues, quas hippagogas uocant, ab Elæa profectæ cum equitibus Gallis, equísque, Phanas promontorium Chiorum petebant. Huiusmodi autem hippagogi & hippegi remulco trahebantur, quemadmodum & stratiotica poria, de quibus paulò antè diximus. Polybius in primo, Posthæc (inquit) disposuerunt hippagines, dantes ex iis lora & funes tractorios, nauibus quæ in tertia classe erãt. Et paulò pòst subdit, Remulco trahẽtibus hippegos naues. Plura apud Baysiũ. breues enim nos esse oportet.

Corbitæ etiamnum naues onerariæ dictæ, quòd in earum præcipuè summo, atque adeò super ipsa mali summitate, corbis appendi & applicari soleret. Est autem corbis in naue, id quod nostrum uulgus uocat la hune, Veneti gabiam appellant, quemadmodum suo loco dicemus, cùm de partibus nauium sermo erit. Est igitur Corbita (inquit Nonius) genus nauigij tardum & grande. Vnde Plauti dictum in Pœnulo, Tardiores multò quàm corbitæ sunt in tranquillo mari. Cic. ad Atticum, Corbitáne Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarētinorum? Inde etiam aliud uerbum Plautinum Corbitare, hoc est, ceu corbitam quandam (quæ est inter onerarias naues maxima) implere, & mercibus onerare: atque id in gulosos & uoraces dictum, Ego (inquit ille in Casina) nouí ambas estrices: Corbitant ubi comesse possunt. Forsitan huc dicto non alienum quod uulgus nostrum corbinare dicat: nisi quis malit à coruis deductum potius. Est & aliud prouerbium à corbita deductum, Plauto item commune & frequens, Corbita opera, pro tarda & negligenti: quasi corbita (quod est nauigij genus tardum & lentum propter grauitatem) properare in auxilium alicuius. Hinc Corbitam operam dare uel præstare alicui, pro negligenter aliquem iuuare dici solet. Cui cōtrarium est Celocem operam dare, quasi celoce (quod est nauigij genus celerrimum) currere, ut alicui opitulemur & auxilio simus. Plautus in Pœnulo, Obsecro hercle operam hanc celocem mihi, non corbitam, date.

Cybea item nauis onerariæ genus est, cuius mentio est apud Ciceronem in Verrē actione septima, Nauem uerò cybeam maximam, trirenis instar pulcher-

rimam atque ornatissimam palàm ædificatam sumptu publico. Et subdit paulò pòst, Celeberrimo loco ædificari tibi onerariam nauem in ea prouincia, quam tu cum imperio obtinebas. De eadem autem cybea loquitur, quam Messanæ ædificatam fuisse publicè coactis operis refert quarta actione, eíque ædificandæ Senatorē Mamertinum publicè præfuisse.

Gaulus, à Græcis γαυλὸς dictus, cuius mentio est apud Gellium, uidetur ab Herodoto atque etiam Plutarcho poni pro naue oneraria: quemadmodum fusissime docet Bayfius multis exemplis. Festus autem ait, Gaulum genus esse nauigij penè rotundum. Accipitur & pro eo uase quo pastores utuntur ad lac excipiendum.

Hoc unum præterea de onerarijs nauibus addendum, ut breuibus agamus: eo differre maxime onerarias naues ab alijs, quòd & grauiores essent, ac tardiores, & remis agi non solerent, quemadmodū aliæ. Quod ex loco Liuij decadis tertiæ libro septimo facile probat Bayfius.

Erant enim & aliæ naues, quemadmodum Appianus refert, mixtæ ex forma onerariarum & longarum nauium, appositæque maxime, seu quis remis uti uellet, seu uelis: cuiusmodi quasdam hac nostra memoria faciendas locauit Franciscus Rex Galliarum ad Oceanum Britanniæ maioris, uulgus galeones appellat. Eas uerò myoparones & phaselos ab antiquis appellatas fuisse probat Bayfius, tum multis Græcorum authorum locis simul collatis, tum etiam Catulli uersibus qui de phaselo loquens,

Ait fuisse nauium celerrimum,

Neque ullius natantis trabis impetum
Nequisse præterire, siue palmulis
Opus foret uolare, siue linteo.

De myoparonis autem etymologia, & quòd parui etiam myoparones essent, quorum ministerio præfecti triremium & maiorum nauium uterentur, non grauabit ipsum Bayfij fontem petere. Longior est enim disputatio, quàm ut breuitatis nostræ institutum requirat. Nunc ad actuarias transeundum.

Naues actuariæ.

Naues actuariæ, siue actuaria absolutè, aut actuaria nauigia (utrũque enim dici eleganter & Latinè potest) dicta quòd remis agantur, uel (ut ait Nonius) quòd citò agi possent. Sallustius libro secundo histo. Ad hæc pauca, piraticæ, actuaria nauigia. Cicero ad Atticum libro 10, Quid duro tẽpore anni actuaria fore censes? Liuius 5. belli Punici, In hoc tumultu actuariæ naues instructæ. toutes especes de galees, ou fustes legieres: comme brigantins, & autres. *Inuentæ sunt autem huiusmodi naues uel uoluptatis causa (nempe ut celeriter per mare huc atque illuc animi causa diuagarentur. Nec debent (inquit Cicero) actuaria illa, quæ uoluptatis tantùm causa parata sunt, postliminij iure uti, cùm ad nullum belli usum sint parata) uel etiã ut maioribus nauibus inseruirent: unde à Græcis ὑπηρετικὰ dicuntur, quasi ministratoria & seruilia nauigia. atque ob id humiliora quàm cætera fiebant: & ut facilius remis impellerentur, & ut celeriora essent. Vnde Cæsar quinto com-*

mentariorum, H*as omnes* (*inquit*) *actuarias imperat fieri, quam ad rem humilitas multum adiuuat.* I*taque inter longas naues connumerandæ non sunt actuariæ: subdit enim paulò pòst ipse* C*æsar*, E*o cùm uenisset, circuitis omnibus hybernis, singulari militum studio in summa reũ inopia, circiter sexcentas eius generis, cuius suprà demonstrauimus naues, & longas duodeuiginti inuenit instructas.*

A*ctuarias naues* C*æsar etiam uectoria nauigia appellauit, ad onera quidem inhabilia, sed uectoribus traiiciendis apta:* Q*ua in re* (*inquit*) *admodum fuit militum uirtus laudanda, qui uectorijs grauibúsque nauigijs, non intermisso remigandi labore, longarum nauium cursum adæquarunt.* E*as uerò naues* V*lpianus titulo de exercitatoria actione* G*ræco uocabulo* ἐπιβάδας *appellat, quod uocabulum propriè ad uectorias respondet:* Q*uædam enim* (*inquit*) *naues onerariæ, quædam, ut ipsi dicunt,* ἐπιβάδες *sunt. & plerosque mandare scio, ut uectores traiiciant, & sic ut certa regione, & certo mari negotientur.* batteaulx ou nauires passageres ou de voyages & propres a mener personnes ca & la. V*ectores enim hoc loco* (*ut puerorum causa dictum sit*) *non quidem eos qui uehunt, hoc est nauitas & gubernatores, sed eos qui in aliena naui pretio uehuntur, significat.* F. Q*uintilianus*, I*n nauim filij mei malè permutatus uector imponor.* H*inc igitur uectoriæ naues dictæ à* L*atinis, quæ à* G*ræcis* ἐπιβάδες *quasi* ἐπιβάντες (*inquit* B*aysius*) *appellatæ, ad* ἐπιβάτας *solùm, id est uectores traiiciendos.* V*nde fortassis legendum esset apud* I*ureconsultum* ἐπιβάντες, *non autem*

ut corruptè prius legebatur, emphates.

Sed *non possum hoc loco satis admirari eius ingenium, qui cùm dissimulare conatur, se à* Baysio *nihil ex re nauali desumpsisse, omnia tamen desumit: ac dum in suis commentariis bonis lectoribus aut fucum facere aut tenebras offundere conatur, ne suum furtum omnibus palàm fiat, in id erroris incidit, ut uocabula quædam immutet ac peruertat: neque uocabula ipsa solùm, sed etiam authorũ nomina ac sententias ementiatur: cuius criminis operæpretium duximus iuuenculos nostros admonere, ne minus cauti in id temere incidere possint.* Siquando *igitur in commentariis linguæ* Latinæ *legerint naues embatas, pro uectoriis, quas ille scansiles appellat: corruptum id sciant, pro epibatis, nisi cùm deprauata* Iureconsulti *lectione emphatas dicere noluit.* Præterea *quæ uerba attribuit* Plinio *libro decimonono, ea ipsa sunt quæ prius adduximus ex* Baysio, *desumpta ab* Vlpiani *titulo de exercitatoria actione,* Q*uædam enim naues onerariæ, quædam (ut ipsi dicunt) epibades sunt, &c.* Atqui Plinius *lib. decimonono, hortorum curam & ornatum recenset, & à nauium tractatione longissime abest.* Vide *quæso lector quàm hoc sit diligenter* Latinam *dignitatem tractare.*

Actuarium *nauigium à* Græcis *putat* Baysius *dictum* κωπήρη, *& maximè à* Thucydide *&* Plutarcho, *quorum loca ipse adducit in testimonium.* κῶπαι *enim à* Græcis *remi dicti sunt, unde* κωπηλατεῖν, *remigare.* Itaque Plutarchus *in* Alexandro, πορθμεῖα κωπήρη *appellauit actuarios pontones, siue pontones qui remis incitarentur.* Alij *enim põtones, siue fluuiatiles, siue etiã*

alterius generis essent, remis agi non solebant, quemadmodum suo loco docuimus.

Actuariolum etiamnum pro paruo actuario nauigio sumitur: unde Cicero 16. ad Atticum, Hæc ego (inquit) conscendens à Pompeiano tribui actuariolis decē scalmi: hoc est, quæ parua nauigia actuaria decē tantùm remis agebātur: totidem enim remi erant quot scalmi, hoc est furcallæ (ut uulgò Veneti appellant) quibus remi innituntur. Vnde à scalmis, remorum multitudinem antiqui in nauigio numerabant. Hinc fit ut Plutarchus in Cæsare πλοῖον δωδεκάσκαλμον, appellet nauigium duodecim scalmorum.

Actuaria minuta idem author posuit, pro actuariolis. ad Atticum, lib. 5, Actuarijs autem minutis Patras accedere sine ijs impedimentis, non satis uisum est decorum.

Acatia inter leuia & actuaria nauigia posuisse uidetur Strabo lib. 11. quæ angusta & uelocia erant, ut uix uectores 25. reciperent. Quorum nauigiorum formam describere uidetur Plinius lib. 4. cap. 30, cū de cōcha quadā loquitur, in qua cōditur animal naupliū sepiæ simile: Est enim (inquit) illa cōcha acatij modo carinata, inflexa puppe, prora rostrata. Fuerunt tamen & maxima acatia, ut ex Polybij loco in primo ostendit Bayfius. Quin & ἄκατος apud Lucianum de ueris narrationibus, pro quodam nauigio sumi uidetur quod uelis potius, quàm remis agebatur. Thucydides autem ἀκάτιον ἀμφήρικον dixit, hoc est, acatium ambireme, quod prædatorij nauigij genus erat.

Prædatoria autem nauigia etiam inter actuarias naues sumi debent uel argumēto Thucydidis in 4. qui

prædatorium Messeniorum actuarium uocat. Et Liuij 4. dec. lib. 7, qui piraticas celoces appellat. Græci naues prædatorias & piraticas, πειρατικὰ καὶ λῃστρικὰ πλοῖα nominant: cuiusmodi erat myoparo piraticus, de quo Cicero multis in locis, quæ à Baysio latissime exprimuntur. uulgus nostrum brigantinos appellat, conficto à prædatoribus nomine, ut omnes norunt. Aristoteli in primo περὶ ἑρμηνείας, ἐπακτροκέλης sumi uidetur pro prædatoria naue omnium celerrima.

Exploratoriæ quoque naues inter actuarias poni possunt: celeres enim erant & leues, nempe quæ in bello explorandarum inimicorum uirium causa præmitti solebant, uulgus nostrum uocat vn espion. Eas Liuius decadis tertiæ lib. 2 speculatorias appellauit: Inde duæ Massiliensium speculatoriæ præmissæ, retulerunt classem Punicam stare in ostio fluminis. Cæsar in quarto, speculatoria nauigia protulit, Quod cum animaduertisset Cæsar, scaphas longarum nauium, item speculatoria nauigia militibus cōpleri iussit. Thucydides in sexto προπλοις ναῦς, quasi prænauigantes naues, & præcursorias appellat. Plutarchus in Catone κατασκοπικὰ nauigia uocat. est autem κατασκοπέω Græcis exploro, inspicio Qua quidē dictione usus est etiam Cicero quinto ad Atticum, Aphracta (inquit) Rhodiorū, & dicrotum Mytilenorū habebam, & aliud catascopium.

Celox celocis, breue nauigium, à celeritate dictum. Plautus in Asinaria, Quò hanc celocem conferā? Liu. decadis tertiæ libro primo, Naues CCXX. quinqueremes, celoces uiginti deductæ. Græci celetes appellāt per

metaphoram equi celitis: qui quemadmodum ab uno tantùm sessore agitatur & regitur (unde celetizontes pueri apud Plinium lib. 34. cap. 8. id est, sedentes in equis & eos agitantes) ita etiam celetes naues unico tantùm per transtra remo concitantur. Κελήτιον dixit Thucydides in primo, eleganti uocabulo, pro parua celoce, uel paruulo celete, ad maiorem diminutionē. Appianus quoque in secundo de bello ciuili, κελήτιον ὀξὺ, hoc est, celocem celerē ad maiorem expressionem dixit, quasi celocem inter cæteras leuissimam & liberrimam.

Ponendi sunt & cercuri inter actuaria, etsi Nonius cercurum ex Lucilio probet nauem esse prægrandem. Liuius tamen decadis quartæ, libro tertio, Ipse (inquit) cum classe centum tectarum nauium, ad hæc leuioribus nauigijs, cercurísque ac lembis ducentis proficiscitur. Vides quemadmodum, & cercuros & lembos inter leuiora nauigia, & quæ in bello usui erant, posuit. Quòd autem cercurū, in Cypro inuentum fuisse Plinius referat, enarrator autem Aristophanis in Corcyra, mihi perinde est. Tu de hac re uideto Baysium diligenter. Redeo ad lembum.

Lembus, Græcis λέμβος, inter actuaria nauigia, sine controuersia apud Liuium & multos authores Græcos frequentissime sumitur. quod facile conijcere potuimus ex eo loco, in quo eadem recenset dec. tertiæ lib. primo, quæ Polybius: Ab actuarijs (inquit) nauibus ad alteram ripam pertrahitur: Polybius habet, à lembis. Itaque alterum pro altero sumit: & lembos ad remulco trahendas naues alias in usu fuisse ex ijs locis manifestum est, quæ tu fusius apud Baysium uidebis.

Multis autem remis agebantur lembi, unde Liuius decadis quartæ, libro quarto, Naues quas ciuitatibus maritimis ademisset, redderet: néue ipse nauem ullã præter duos lembos, qui non plus quàm sedecim remis agerentur, haberet.

Quum & alium usum præstasse lembos expeditiores, manifestum est ex Diodri loco libro uicesimo, Congregatis (inquit) ijs lembis, qui maxime expediti uidebãtur, iisque cratibus & pluteis cõtectis, additis quoque fenestris quæ clauderentur, imposuit machinas quæ tela quàm longissime emittere ualerent, eósque homines qui illis machinationibus exactè uti possent.

Lembi etiam apud antiquos in eo usu erant, quo præcursores naues, quas antecessores Cæsar appellat. Quod ex Polybij loco in primo facile coniici potest, Similiter (inquit) & quæstoribus qui à Syracusanis præmissi erant, enuntiarũt lembi, qui solebant antecedere aduersariorum incursum & aduentum.

Erant & maiores lembi ad belli usum non inutiles. Itaque classem lemborum legimus non semel apud Liuium: & maxime decadis quintæ lib. 5: item dec. quartæ lib. 2.

Lembum præterea inter fluuiatilia posuit Virgilius primo Georgicω̃n, his uersibus,

Non aliter quàm qui aduerso uix flumine lembum
Remigijs subigit, si brachia fortè remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alueus amne.

Itaque lembi, nauiculæ erant breues & uelocissimæ, quibus tum super flumina, tum etiam super ipsó mari utebantur antiqui.

Ἐφόλκιον pro actuariolo ministratorio posuit Plu-

tarchus in Demetrio. uulgus nostrum uocat, vn squif. *maioribus enim nauibus inseruiebat, unde Lucianus* σκαφίδιον, καὶ μικρὸν σκαφίδιον *appellat: hoc est scaphulam, uel paruam scaphulam.*

Cæterum, ut in summam actuarias naues contrahamus, sciendum est multorum remorum fuisse apud antiquos: cuiusmodi sunt eæ quas Veneti barcas longas *appellant, ut etiam uiginti remorum actuariam inueniamus, quæ Græcis* εἰκόσορος *dicta est: & 30, quæ* τριακόντορος: *& 50, quæ* πεντηκόντορος. *quorū* exempla *permulta apud Bayfiū legito. Nunc uerò ad piscatorias naues transeundum: breues enim esse statuimus.*

Naues piscatoriæ.

P*Iscatoriæ naues dictæ, quæ piscium capiendorum causa paratæ erant, quas nauicellas uocat* Mar*tianus in tractatu de fundo instructo*, nasse ou nasselle de pescheur. *Liuius tertio belli Punici,* Ni *mare propinquum, & haud procul litore naues piscatoriæ pleræque conspectæ peritis nandi dedissent aufugium.* ἐπακτρία, ας. καὶ ἐπακτρὶς, ίδος. καὶ τὸ ἔπακτρον *apud Nicandrum pro nauicula piscatoria sumitur,* ἐπακτῆρες *enim, Græcis tam uenatores quàm piscatores appellantur. Epactrida tamen coniicit Bayfius ex loco Xenophontis, pro actuario sumi posse.*

Scapham autem piscatoriam eleganter dixit Iustinus libro secundo pro nauicula piscatoria, & ea quam Græci, atque adeò Xenophon lib. 7. anabaseos ἁλιευτικὸν πλοῖον *appellant. Verba Iustini sic habent, Vbi (inquit) cùm solutum pontem hybernis tempestatibus of-*

fendisset, piscatoria scapha traiecit trepidus. de scaphis autem fluuiatilibus dicemus postea.

Qui etiã Baysius *ex loco* Plutarchi *in apophthegmatibus non sine maximo labore ac diligentia ostendit eam nauem, quam* Græci τὴν ἁλιάδα *uocant, esse nauiculã piscatoriã, & quam superius* ἁλιευτικὸν πλοῖον *uocauimus.* Alioqui *sumitur* ἁλιὰς *apud* Plutarchum *in* Pompeio, *pro leuiori & minori, atque etiam uili nauigio, & quod* Appiano σκάφος εὐτελὲς *dicitur.* Cæsar *autem tertio belli ciuilis, quam* Plutarchus ἁλιάδα, *ipse paruam nauiculam appellauit.*

Cymba Græcis κύμβη *(unde* κυμβίον, *cymbium, poculi genus, ad cymbæ similitudinem factum :* Inferimus *tepido spumantia cymbia lacte) inter piscatorias naues poni & annumerari debet, uel* Marci Tul. *authoritate in* 3. Offic. Erat *opiparè à* Pythio *apparatum cõuiuium, cymbarum ante hortulos multitudo: pro se quisque quod ceperat piscium afferebat.* Et *paulò pòst,* Tum Cannius: Quæso *(inquit)* Pythi, *tantúmne piscium, tantúmne cymbarum?* Liuius *sexto belli* Punici, *leues cymbas, piscatorias appellat:* Quod *per piscatores (inquit)* Tarraconenses, *nunc leuibus cymbis, nunc ubi eæ sederent uadis peruagatos per stagnum compertum habebat. uulgus nautarum qui* Ligerim *tranant, uocat* vne sentine. Diminutiuo *autem cymbula usus est* Plinius *in epistolis: quod uocabulũ nescio an dignum sit quod recipiatur.*

Lenunculus *inter piscatorias naues sumi potest, uel authore* Sallustio *libro* 1. *histo.* Indicit *(inquit) fortè per noctem lenunculo piscandum.* Vnde Ammianus Marcellinus *libro* 4, Lenunculos *piscatorios appellauit:*

& decimosexto, lenunculum piscantis. Cæsar *autem secundo belli ciuilis, lenunculum posuisse uidetur pro scaphis maiorum nauium.*

Remeculus *autē uel remieculus quid sit planè ignoro, & corruptum omnino uocabulum esse putat* Bayfius *pro lenūculo. facillimus est enim lapsus, ut quis remieculum pro lenunculo scribat.* Vnde *ausim affirmare apud* Gellium *libro decimo cap. 25. quo loco remeculi legitur, mendum inesse: legendu'mque lenunculi, quemadmodum in eodem loco psumiæ pro prosumiæ corruptissime scriptum uidere poteris.* Est *autem prosumia (ut id obiter dicamus) speculatoriæ nauis genus, quemadmodum inquit* Festus. Plautus *in* Amphitr. De *nocte ad portum profectus sum pro sumia.* Atqui, *ut ad lenunculum redeam, mirum hoc mihi maxime uidetur in uiro docto, cui cùm nulla authoritas antiquorum suffragetur, ausus est tamen in suis commentarijs linguæ* Latinæ *remeculum proferre, tanquam nauigij genus quo* Lemnij *uti solebant.* Certè *id nemo crediderit à* Bayfio *desumptum esse, sed fortassis temere prolatum, ut permulta alia.*

Horia *(inquit* Nonius*) nauiculæ piscatoriæ genus est.* Plautus, Malo *hunc alligari ad horiam, ut semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.* Idē *in* Rudente, Salue *te horia mari fluctuoso.* Idem *ibidē,* Mea *opera laboratur, & rate, & horia.* Prouerbiale *dictum, pro omnem operam dare & impendere alicui rei.* Ac *de piscatorijs satis, nunc ad fluuiatiles.*

Naues fluuiatiles.

NAues fluuiatiles dictæ, quibus super fluuiis commodè utimur, siue ad negotia, siue etiam ad traiectiones: alia enim ratione fabricantur atque ex quibus super mari utimur, ideóque peculiarem appellationem sortitæ sunt, batteaulx sur la riuiere: *quas qui Ligerim nauigant, uocant* chalantz. *Liuius primæ decadis libro decimo, Ibi captiuis proximo uico in custodiam datis pars fluuiatiles naues, ad superanda uada stagnorum aptè planis alueis fabricatas: pars captiua nauigia armatis complent. Græci* ποτάμια πλοῖα *nominant.*

Commodæ etiamnum erant fluuiatiles naues ad pontes super ipsis fluminibus faciendos: iunctæ enim permultæ huiusmodi naues, atque ad seinuicem applicatæ ac colligatæ, asseribúsque constratæ, pontem faciebant traiiciendis exercitibus, & copiis machinisque bellicis commodissimum ac firmissimum. Cuiusmodi pontis formam in Bayfii opere uidebis, ad antiquorum rationem depictam. Polybius in tertio, Cùm (inquit) secundo die constitisset, fluménque ponte fluuiatilibus nauibus imposito iunxisset, Asdrubali negotium dedit exercitum traiiciendi: ipse autem traiecto statim flumine, responsa dabat legatis qui aderant.

Ad cuius rei commodiorem usum, tum etiam ut facilius ad ipsa maria transportari possent, siquando pontibus nauibus constratis opus esset, Semiramis (ut refert Diodorus) curauit construenda nauigia fluuiatilia, quæ facilè soluerentur: ut expeditè magis trās-

portari possent dissoluta, iterúmque ubi usus esset, cōpacta. Strabo 17.*eiusmodi naues* πάκτωνας *uocat:* πακτοῦν *enim compingere est.*

Traiectoriæ *naues, hoc est, quibus flumina traiicimus*, batteaulx passagiers, flettes de passeurs: *qui* Ligerim *tranant, uocant* vne toue. *strictæ sunt autem huiusmodi naues ab utraque parte. à* Græcis, *atque adeò* Strabone πορθμεῖα πλοῖα *dicuntur:* πορθμὸς *enim fretum est, unde porthmia, nauigia ad transfretandū apta, de quibus superius in actuarijs.*

Cymbas *quoque pro nauigijs fluuiatilibus ad trāsfretandum, siue traiiciendum aptis apud authores legas.* Virgil.6.AEneidos *de* Charonte *portitore, Gemuit sub pondere cymba.* Iuuenalis,

Atque una transire uadum tot millia cymba
Nec pueri credunt. Cymbam *autem* Charontis, δικωπίαν *uocat* Lucianus.

Inter *fluuiatiles sunt lintres, quæ remis agebantur, ut palàm fit ex* Cæsaris *loco, septimo commentariorum,* Conquirit *etiam lintres, has maximo sonitu remorum incitatas in eandem partem mittit, officiúmque præstabant conuehendarū per flumina mercium, aut aliarum rerum: quemadmodum ex* Tullij *exemplo pro* Milone *patet,* Repentè *(inquit) lintribus in eam insulam materiam, calcem, cæmenta atque arma conuexit.* batteaulx de charge sur la riuiere. des bariquelles.

Lintres, *pro alueis fluuiatilibus quos uocat* Liuius, *hoc est fluuiatilibus nauibus in arbore sola excauatis, cuiusmodi super* Ligeri *fluuio plurimas uidimus, accepisse uidetur* Virgilius, *cùm ait secundo* Georg. Cauat

arbore lintres.

Scapham Plutarchus in Romulo appellat quem alueum Liuius uocauit, in qua Remus & Romulus fratres super Tyberi proiecti fuerant. Scapha enim non solùm nauiculam significat, sed quicquid concauum in nauiculæ fluuiatilis formam factum est: ἀπὸ τοῦ σκάπτειν, hoc est, à fodiendo: unde adhuc hodie Veneti uas illud marmoreum, siue lapideum excauatum, in quo uasa culinaria abluuntur, quódque impuras aquas in uicos, aut canales è domibus emittit, scapham appellant. Vulgus nostrum lauatorium uocat.

Σκάφος autem apud Græcos neutrum cùm est, accipitur pro communi nauium cuiuscunque generis uocabulo: unde σκάφη τετρηρικὰ καὶ σκάφη πεντηρικά, pro nauibus quadriremibus & quinqueremibus dixit Diodorus Siculus, in uicesimo. Sumitur & scaphos pro concauitate & uentre nauis. Vnde scaphium pro uase, ut diximus in libello de Vasculis: & etiam pro ligone eo quo exercebantur athletæ. Iuuenalis,

Et ride scaphum positis quum sumitur armis.

Alioqui σκάφη, scapha, fœmininum apud Græcos, planè est tanquam in instrumento nauis: & si quis nauem cum instrumento emerit, præstari ei debet scapha secundum Labeonem, in tractatu de fundo instructo. Erat igitur scapha longarum nauium, hoc est, longis nauibus inseruiebat. Nempe ad anchoras circunducendas & referendas, item ad alligandas naues in portu, & siquando opus erat, ad uictum conquirēdum, & celeriter huc atque illuc diuagandum, dum immineret periculum. uulgus nostrum uocat vn bachot. Tullius secundo de inuentione, Postea aliquan-

do ipsos quoque uehementius tempestas iactare cœpit, usqueadeò, ut dominus nauis, cùm idem gubernator esset, in scapham confugeret. Cæsar quarto commentariorum, Quod cùm animaduertisset Cæsar, scaphas longarum nauium, item speculatoria nauigia militibus compleri iussit. Cætera exempla uideto in Baysio. Veneti schipho & copano *nauium onerariarum uocant, id est* batello. les petits batteaux seruants aux grandes nauires. *quidam uocant* vne barguette.

Hactenus de fluuiatilibus. Nunc ad ea nauium nomina ueniamus, quæ in particularium uocabulorum explicatione dicta non sunt. Ea autem nauium bellicarum titulo complectemur.

Naues bellicæ.

Bellicas naues, siue etiam militares (utrunque enim eleganter dici potest) hoc est, quæ ad bellum & militiam ædificatæ & aptæ sunt, Græci στρατιωτικὰ πλοῖα *uocant,* nauires de guerre. *Quæ siue longæ sint, siue etiam ex onerariarum genere (quales sunt quæ tribus interdum uelis, nonnunquam etiam quatuor per mare discurrunt) certè aliam formam, & apud antiquos, & apud nos quoque retinuerunt, atque eæ, quæ uel negotiatoriæ, uel traiectoriæ, aut actuariæ sunt: quemadmodum sequentia facilè aperient.*

Constratæ enim naues (de quibus superius in longis abunde diximus) quæ à Græcis κατάφρακτα *dicuntur, ad differentiam aphractorum, quæ aper-*

tæ dicebantur: nulla alia ratione, quàm ad belli usum inuentæ sunt, nempe, ut tutius ex iis, tanquam è muris quibusdam ac castris pugnaretur, nauires couuertes par les costez.

Turritas præterea naues quis alia de causa factas primùm fuisse existimet, quàm ad belli usum? Cuiusmodi naues habuisse Antonianos, in pugna illa nauali quæ ad Artium facta est cum Cæsarianis, liquet ex Dione: cuius locum integrum uideas licet in Baysio, earũdémque nauium formam ac figuram. Quemadmodum enim antiqui super elephantis turres ligneas imponere commodum existimarunt, è quibus, tanquam ductilibus quibusdam castellis, depugnarent: ita etiam super ipso mari excogitarunt, nauibus turres ad libram imponere, non solùm ad proram, sed etiam ad puppim, ut inquit Appianus de bellis ciuilibus: unde turritas puppes dixit eleganter Virgilius in octauo,

Tanta mole uiri turritis puppibus instant.

Quod ne quis hyperbolicæ dictum existimet, facile id ostendi potest ex Cæsaris loco libro tertio, de bello ciuili, Atque (inquit) alteram nauem, quæ erat ad custodiam ab Acilio posita, pluribus aggressus nauibus, in quibus ad libram fecerat turres.

Quinetiam rostratæ naues ad belli usum, sine controuersia primùm factæ atque inuentæ sunt. Cic. secundo de inuent. Lex est apud Rhodios, ut si qua rostrata in portu nauis deprehensa sit, publicetur. Aliæ enim naues quæ bellicæ non erant, rostris carebant: ut etiam speculatorias (quæ celeres erant & bellicæ) Liuius rostra non habuisse dixerit. Inuenta autem

roſtra ipſis nauibus, eadem ratione qua equis armatis in fronte aculei ferrei: ut dum ex ipſis depugnarent, etiam naues, ſuis ueluti armis in ſeinuicem impetum facerent, & aliæ alias ſuis roſtris rapacium quarundam auium uice confoderent ac deprimerent. Roſtris enim nauium, antiqui concurrebant. Liuius tertiæ decadis, lib. 6, Itaque ex utraque parte ſigno dato, cùm roſtris concurriſſent, neque retro nauem inhiberent, nec dirimi ab ſe hoſtem paterentur, &c. Vnde inquit Aulus Hirtius de bello Alexandrino, Cæſarem nauibus actuariis, quia non eſſent magnitudine ſatis iuſta ad prœliandū, roſtra impoſuiſſe. Ea autem primùm inueniſſe Piſeum refert Plinius lib. 7. cap. 57.

Imò etiam, ut fortiores & duriores eſſent naues, ac magis armatæ, roſtra iis ex ære fieri cœpta. Vnde æratæ naues eædem dictæ à Virgilio quæ & roſtratæ, in nono, ubi de nauibus Troianorum uerſis in deas & nymphas maris,

-hinc uirgineæ (mirabile monſtrum)
Reddunt ſe totidem facies, pontóque feruntur:
Quot prius æratæ ſteterant ad littora proræ.

Cæſar ſecundo belli ciuilis, Interim L. Naſidius ab Cn. Pompeio cum claſſe nauium ſedecim, in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio Maſſilienſibúſque ſubſidio miſſus. Appianus in Mithridatico χαλκεμβόλους uocat. Diodorus enim lib. 20, χαλκώματα uocare uidetur, roſtra ex ære: alioqui roſtra alia Græci ἐμβόλους appellant.

Prætoriam nauem inter bellicas iure annumerare debemus, quam Græci ναυαρχίδα, & nonnunquam στρατηγίδα appellant: noſtri uulgò capitaneam. nempe

in qua is qui classi & exercitui nauali praeest, siue praetor, dux, aut imperator fuerit (quem uulgus capitaneum appellat) sedet & uehitur: pictáque erat, & longè aliis ornatior ac conspectior, la capitaine. *Liu. 7. belli Punici, Hinc caeteris terror iniectus, ut praetoriã nauem captam uiderunt.*

Naues autem ipsae in bello ab hostibus captae, captiuae dicebantur. nauires prisonnieres, ou gaignees sur mer. *Liuius tertiae decadis lib. 3, Dum haec Romani parant, aguntque, ad Philippum captiua nauis una ex iis quae Romam missae erãt excussa, fugit. Xenophõ in secundo* αἰχμαλώτους *uocat,* αἰχμαλωτεύω *enim capio, & captiuos duco, significat.*

Praesidiariae naues bellicae, quae in alicuius urbis uel portus praesidium collocabantur: Graeci φυλακίδας *uocãt. Vnde Diodorus lib. 20, Praesidiariae (inquit) Carthaginensium, ubi id resciuerunt, confestim persecutae sunt,* la garnison.

Praecursores autem, siue excursores, aut, ut Caesar appellare maluit antecessores, naues erant bellicae, leues & celeres: quae primos belli excursus faciebant, maioresque & longiores naues antecedebant, primáque pericula experiebantur, auantcoureux.

Eas uerò praecedebant exploratoriae, & quae explorandi causa praemittebantur, quae Graecis νῆες πρόπλοι *dicebantur. Latini interdum alio uocabulo Graeco usi, Catascopia appellant: quod est apud Tullium quinto ad Atticum. Liuius speculatorias uocauit, ut iam paulò antè diximus,* vn espion. *Ac de his satis: nũc ad ipsas nauium partes & instrumenta ueniendum.*

Nauium partes & instrumenta.

EXplicatis quambreuissimè à nobis fieri potuit nauium differentiis ac nominibus: non alienum uidetur nunc ipsam nauem sumere, & in suas partes diuidere, ut nostri adolescentuli cognitis nauium nominibus etiam ipsas nauium partes perdiscant. Imitabimur autem hac in parte nostrũ Bayfium, *& à scalmo sumemus exordium.*

Scalmus, Græcis σκαλμὸς, *Venetis* la furcula, *nostris Gallis* la cheuille, *dicitur lignum id in naui circa quod alligantur remi, ut firmior sit nauigatio: quod interdum excauatum est, ac crenatum, & fenestratum in apsidem ad retinendum remum, ne frequenti ac continuo motu huc atque illuc facile dissiliat, & ut facilius ac solidius impellatur.* Cicero de claris oratoribus, *At uerò ut contrà Crassus ab adolescente delicato, qui cùm in litore ambulans scalmum reperisset, ob eámque rem, nauem ædificare concupiuisset, exorsus est, &c. Vnde actuariola decemscalmi, & duorum scalmorum nauigia appellauit idem Cicero ad Atticum, ut suprà diximus.* πλοῖον *quoque* τρίσκαλμον *dixit Plutarchus in AEmilio: hoc est, nauigium trium scalmorum. Quin & scalmum pro cymba, id est, partem pro toto, negantibus uerbis, posuit Cic. 3. Officiorũ, Venit ipse maturè, scalmum nullum uidet. hoc est, tantùm abest, ut aut cymbam piscatoriam, aut quiduis aliud uiderit, ut ne scalmus quidem nauiculæ apparuerit.*

A scalmo interscalmium dictum, quod est spatiũ inter duos scalmos designatũ in ipsa naui. L'espace qui est entre deux rames ou cheuilles. *Qua dictione*

usus est Vitruuius lib. 1. Dicitúrque interscalmium in ipsis nauibus, quemadmodum intercolumnium in ædificiis.

Latera, les pans ou les costez de la nauire, *Græci* πλευρὰς *uocant. Iulius Pollux, item etiam Lucianus* τοῖχον εὐώνυμον καὶ δέξιον, *pro dextro sinistróue nauis latere dixerunt.*

Carina apud Venetos nomen retinet, la carena. *est autem ipsius nauis uenter & pars media. uulgus nostrum uocat* les ceinctes, *quasi cinctum nauis dicere uelit. Græcis* τρόπις *dicitur. Virgil. 3. AEneid.*

Dona dehinc auro grauia sectóque elephanto
Imperat ad naues ferri, stipátque carinis
Ingens argentum.

Cæsar 1. belli ciuilis, Carinæ primùm ac statumina ex leui materia fiebãt: reliquum corpus nauium uiminibus contextum coriis integebatur. Statumina autem appellat Cæsar, ipsas ueluti nauium costas, hoc est, ligna illa armata combæ infixa quasi cuidam spinæ: quæ quemadmodum in animalium corporibus, uentrem atque adeò ipsam nauis crassitiem constituunt. uulgus nostrum uocat des courbes. *Cæterum alueum pro carina Sallustius posuit in Iugurthino, Neque (inquit) alueos nauium inuersos pro tuguriis habuere. Sed & carina pro tota naue, poëtica licentia apud Virgiliũ frequenter sumitur. Vnde etiam apud eundem in 8, ubi de Euandri domo loquitur,*

- passímque armenta uidebant
Romanóque foro, & lautis mugire carinis.

Carinas pro domibus sumit, ad carinarum modũ ædificatis in ipsa Telluris æde, inquit Seruius.

A carina, carinatus: hoc est, in modum carinæ formatus, siue carinam pro ipsa naue, siue pro uentre nauis sumas. Plinius, Pectus homini latum tantùm, reliquis carinatum. Idem enim lib. 9. cap. 33, Conchas siue pectines ait seipsos carinare: hoc est, sua sibi concha instrumentum porrigere ad nauigandum, & ueluti carinam quandam ex testa effingere.

Fundum uerò nauis, quod Græcis δρύοχος dicitur (ut Polybij exemplo probat Bayfius) id est, quod Veneti uocant uulgo la columba. Latinum autem uocabulũ nullum habet. Quod enim est fundamentum in domo, id est, δρύοχον in naui: Sic dictum opinor, quòd omnem δρῦν, id est, materiam nauis contineat. uulgus nostrum uocat le rable.

Sentina autem, fundũ internum nauis est, in quam quicquid instillat corruptarum aquarum defluit. uulgus nostrum uocat losſec, præsertim eorum qui naues fluuiatiles ad Sequanam regunt. Nautæ autem Rothomagenses uocant la quille. Vnde quidam ita dictam appellant, quòd hæ corruptæ male oleant ac sentiantur: hinc fortassis sentina grauis, à Iuuenale appellata. Græcis ἄντλος dicitur, à uerbo ἀντλάω, quod exhaurio significat. unde exantlare uocabulum apud Latinos usurpatum pro eodem. Plautus in Sticho,

Næ iste ædepol uinum poculo pauxillulo
Sæpe exantlauit submerum scitissime.

Porrò exhaurire sentinam Latinè & eleganter dici potest. Tullius de Senectute, Cùm alij malos scandant, alij per foros cursitent, alij sentinam exhauriant. Lucianus id Græcè protulit, ὅτε γὰρ ἄντλος ἐκκέχυται. Theodorus autem Gaza non infeliciter locum eundẽ uer-

tit, ἕτεροι δέ τινες ἀντλοῦνται τὸν ἄντλον. Sentinam præterea non iniucunda translatione dixit idem in Catilinam, & pro lege Agraria: item ad Atticum libro primo, pro receptaculo scleratorum hominum, uel etiam pro ipsis nebulonibus urbem coinquinantibus. Idem etiam ad Papyrium lib. 9, sentinam pro loco in Repub. infimo posuit: quòd qui uectores in sentina nauis sedebant, locum totius nauis infimum & infamem habere dicerentur. Conflictari quoque tempestatis & sentinæ uitiis dixit Cæsar tertio belli ciuilis: pro eo quod prius dixerat salo nauseáque confici, hoc est, partim iactatione nimia propter tempestatem, partim sentinæ fœtore debilitari. At ueteranæ legionis (inquit) milites iam conflictati & tempestatis & sentinæ uitiis, non ex pristina uirtute aliquid remittendum putauerunt.

Fori in naue potissimum oneraria & graui sunt, quæ Græci ἑδώλια uocant: nempe tabulata in superiore nauium parte ædificata circa ipsa latera, & ad puppim, quæ iter nauem perambulantibus præbent: dicta (inquit Festus) quòd incessus ferant. le tillac, le beſle. Baysius interpretatur tabulata in naui, quibus nautæ per ipsam feruntur: à ferendo igitur nomen habent. Vnde foriculi apud Varronem pro tabulatis quæ poma ferant, Græci oporothecas uocant. Cicero, loco superius adducto, Cùm alij malos scandant, alij per foros cursitent. Satis impropriè uertit Gaza τῶν καταστρωμάτων. sunt enim catastromata, lõgarum nauium tegumenta circa latera: unde constratæ & contectæ naues dictæ, catastromatis munitæ, quemadmodum prius diximus. Súntque ea nauibus tantùm lõgis pro-

pria:hic autem de oneraria naue ſermo eſt. Itaque uel Herodoti exemplo, fori, hedolia Græcis dicuntur. Qui cùm Arionis fabulam recenſet, ſic ait: καὶ στάντα ἐν τοῖσι ἑδωλίοισι διεξελθεῖν νόμον τὸν ὄρθιον. Gellius libro decimoſexto eandem fabulam narrans, ſic retulit ad uerbum, Stánſque in ſummæ puppis foro, carmen, quod orthion dicitur, uoce ſublatiſſima cantauit.

Prora, Græcis etiam πρῶρα, uulgò la proue, ou le chaſteau gaillard, anterior & prior nauis pars, in qua qui gubernator ſedebat, ut eam regeret, à Polluce proreta à Xenophōte πρωρεὺς dicitur. Quod autē quidam in ſuis commentariis, Virgilij locum adducit in proræ exemplum,

Quot prius æratæ ſteterant ad littora proræ,

certè corruptum eſt: ſcriptum enim reperies puppes, etiam pro nauibus, ut pars pro toto ſumatur. Fortaſſis autem hic locus commodior fuiſſet,

Anchora de prora iacitur, ſtant littore puppes.

Ad ipſam autem proram ſolebant roſtra adfigi, quæ Græci ἔμβολα appellarunt. Sed noſtri nautæ neſcio quid tranſuerſi cuiuſdam mali formam habētis proræ adfigunt, ad onera & uela ſubleuanda, quod uocant le beaupré. Id uerò quia apud antiquos non reperi, mihi hactenus incertum fuit quod Latinum nomen habeat. Cæterum ἐπωτίδα coniicit Bayfius eam eſſe proræ partem quæ utrinque ſtat ad latus roſtri. Latinum nomen non habet.

Proræ autem antiquæ rostratæ formá sic depictá uel potius insculptá uidimus in Romanis *monimentis.*



A. Rostrũ
B. Rostrũ tridens.
C. Catastromata.
D. Epotides

Nostri uerò,quo in loco rostra uides affixa,præsertim in onerariis nauibus,foramina duo rotũda faciũt, ad quæ anchoras alligant. ea uocant uulgò les esceubiens.

Puppis, Græcis *πρύμνα, posterior nauis pars,* la pouppe,ou susain, ou pont & chasteau de derriere. *Vnde locutio perelegans ab authoribus* Græcis *explicata, πρύμναν κρούεσθαι, pro qua* Tullius *inhibere dixit.* Inhibitio *autem, remigum motum habet, & uehementiorem quidem remigationis nauem conuertentis ad puppim.* Veneti *uulgari uocabulo uocant* ziare. *Plura in* Baysio.

Acrostolia Græcis *dicebantur extremæ nauium partes,tum in puppi,tum etiam in prora poni solita ornatus gratia: quæ facile euellebantur, cum collibitum erat.quod multis* Græcorum *exemplis probat* Baysius. *Atque in more esse positum apud antiquos ostendit,ut naues uictrices ornarentur captiuarum acrostoliis.*



Acrostoliorum autem formam (quanquam tamen uariè fiant) in antiquis marmoribus sic depictã uidimus.

Malus nauis à Græcis ἱστὸς *dicitur,* le mats, ou matereau: *cuius (ut inquit Macrobius quinto Saturnaliũ) pars inferior, pterna: media, trachelus: superior, carchesium appellatur. Macrobij autem locum explicatum & emendatum ex Græcorum authorum collatione, apud Baysium uideto. Nunc ad uela.*

Antennæ, Græcis κεραίαι, *uulgò* les verges du trac, ou de l'appareil, *ligna sunt per trãsuersum in malis posita, ad quæ uela adalligantur. Plinius libro 7. Vela Icarus, malum & antennam Dædalus inuenere. Huius autem extremæ partes cornua appellantur. Vnde Virgilius in AEneide,*

Cornua uelatarum obuertimus antennarum.

Caueto autem ne cum quodam dicas, cornua mali extremas partes esse. malè enim ille legerat Baysium, & corruptam Macrobij lectionem emendare non potuit. Cæterum nostri nautæ, quò facilius antennas retinerent ac cohiberent, ne cum ipso uelorum pondere inferne deciderent, dum per tempestates paulò altius subleuarẽtur: nouum instrumenti genus inuenerunt, rotundis quibusdam & leuibus globulis in seinuicem connexis factum, in anguli cuiusdam formam: id uocarunt la raque, *ut uidebis in naue oneraria depictum. Latinum autem uocabulum nondum reperi.*

Velum, Græci ὀθόνην dicunt, & ἱστίον, ut probat Bayfius, la voile, ou l'appareil. dicitur etiam ἄρμενον eleganti uocabulo. unde in Iulio Polluce nauis Antigoni τριάρμενος appellata, quæ tria uela haberet, trinósque malos. Veli autem pars ea quæ acutior & inferior ad nauis latus religatur, modóque contrahitur, modò relaxatur, Pes à Latinis, à Græcis ποῦς dicitur, ut ex multis tum Græcorum, tum etiam Latinorum locis inter se collatis ostendit Bayfius.

Velis autem propria quædam uocabula & locutiones nonnullæ accommodari solent: quibus etiam metaphoricè sumptis elegãter uti solemus. Velificari enim, pro uela in altum expandere, ut nauigemus, dicitur: unde, Velificari honori suo, per translationem, pro magnopere conari, quacunque id uia fieri possit, ut honores assequamur. Item etiam pleraque alia, quorum exempla in Thesuro linguæ Latinæ, & Bayfij uigiliis permulta uidere poteris. Vela enim dare dicimus, & Vela ducere, & Vela facere, & Vela pandere, & Vela uentis permittere pro eodem: hoc est, altum petere, ut dixit Liuius, lascher la voile au vent. Per trãslationem autem, pro uiam aperire & munire ac patefacere, atque aggredi opus aliquod. Dicimus item ad obliquos uentos hinc atque illinc transferre uela ex Liuio, caler la voile aux mauuais vents. Item Velis passis prouehi ad aliquid, ex Cicerone: & Velis remísque aliquid fugere, ex eodem, quod Græci dicunt, ἐπεράμενοι τὰ ἀκάτια φεύγειν. Item ueliuolum mare, ex Virgilio. Veliuolantes quoque naues, quæ suis uelis actæ quodammodo uolare uidentur, ex Cicerone. Quorũ exẽpla breuitatis ergô prætermittimus, ut uel

hãc occasioně iumẽculis relinquamus Bayfiũ *cõsulẽdi.*

Velum *maius, nauis artemonem quidam uocant, ut in actis apostolorum ad calcem legitur, uulgò* le grãd appareil. *Iulius* Pollux *acatium uocat, item etiam* Plu*tarchus: quorum loca latissimè explicata, uideto apud* Bayfiũ. *Artemonem autem* l'artimon, *uulgus nautarum, non id quidem uocant quod uelũ maius appellamus, sed ueluti mediũ quendam malum transuersum in puppi collocatum ac prominentem, qui & oneribus subleuãdis, & etiam uelis, quæ in puppi sunt retinendis, ac sursum erigendis seruit.* Nihil *autem simile in antiquis nauibus reperi.* Quapropter Latinum *nomen mihi adhuc incertum est.*

Minus *autem uelum,* Græcis *δόλων,* Latinis *dolo dicitur.* Vnde Dolonibus *erectis altũ petere dixit* Liuius *quartæ decadis lib. 6. quod etiã paulò pòst, sublatis dolonibus effusè effugere protulit.* Dolonem *præterea pro teli genere sumpsit* Plutarchus *in* Tyberio.

Velum *quod à tergo est, & retrorsum panditur in naui, ἐπίδρομος uocatur à* Iulio Polluce.

Carbasa *quoque &* Suppara *pro uelis apud antiquos sumi persæpe uidemus, præsertim poëtas, apud quos licentia nescio quid authoritatis semper præbuit: ob id certè quòd delicatiora uela, carbasino lino (quod miræ tenuitatis erat) apud* Hispanos *fieri solerent.* Ita *etiã supparina tela, quæ inter alias delicatissima erat, & subtilissimæ tenuitatis: ut ea puellæ ornatus gratia superinduerentur: eundémque usum præstabant (inquit* Festus) *suppara, quem & subuculæ & camisiæ.* Carbasa *pro uelis sic sumpsit* Virgilius, *-& auræ*
Vela *uocant, tumidóque inflatur carbasus austro.*

Suppara autem apud Lucanum sic legas:

-imáque pandens

Suppara uelorum perituras accipit auras.

Quod autem ad constratarum nauium partes spectat, id notandum est. Si erat constrata tectáque nauis, inædificari solere turriculas à dextra sinistráque eius parte, tam in prora, quàm in puppi. Quæ autem ligna turres sustinebant, à Polluce πυργοῦχοι dicebantur.

Catastromata uerò in medio erant, tectisque nauibus nomina dabant: è quibus decertabatur, & in quibus erant homines armati, quos propugnatores uocat Tullius septima in Verrem. Polybius in primo, In ipsis (inquit) faucibus portus adnauigabat, habens armatos propugnatores, paratósque ad pugnam uiros, qui in catastromatis & foris erant. Fortasse (inquit Bayfius) non ineptè dixerimus catastromata ea esse in naui quæ uulgò dicuntur garides:*nisi mauis dicere in locum eorum uulgò nos uti* des baleſtrieres.

Transtra in naui sunt sedilia, in quibus erant remiges, les bancs. *Virgilius,*

Considunt transtris, intentáque brachia remis

Intenti expectant signum.

Remi à Græcis κῶπαι dicuntur, quòd Plinio authore, à Copis populis primùm inuenti fuerint, des rames ou auirons. *Inde κωπηλατεῖν quidam Latini remigare dixerūt. Dicitur & κώπη Luciano, molæ quasi manubrium: propterea quòd tanquam remus agitatur in gyrum. Dicitur & eidem authori remus ἐρετμός. Cuius partem latiorem Græci πλάτην uocant. Remorum autem ordinem extremum & ueluti remigiũ, ταρσοὺς appellant: unde, quod Latini eleganter remos deter-*

gere & defringere dicunt, Græci ταρσοὺς θραύειν proferant, uel περιαγνύειν ταρσούς: quas locutiones multis exemplis probat & explicat Bayfius.

Remiges, les galiots, à Græcis ἐρέται dicuntur, à Liuio etiam multis in locis, socij nauales: quod cum eo uocabulo respondere ostendit Bayfius, quod Græci πληρώματα dicunt, Veneti uulgò uocant la ciurma. Quanquam tamen Lucianus in ueris narrationibus pliromata, pro nauigiis instructis & armatis sumere uideatur.

Remiges autem qui, cùm opus erat, decertabant & propugnabant, atque utrunque ministerium præstabant, Græci αὐτερέτας uocauerũt & μαχίμους & προσκόπους, ut ex locis Thucydidis probat Bayfius. περινέους autem uocat idẽ author, otiosos & liberos uectores à remigandi labore.


Remiges præterea qui in prima parte sunt longæ nauis ad proram, uocantur à Græcis thalamitæ uel thalamij: qui autem in medio supra arborem, zygitæ: qui uerò in tertia parte ad puppim, thranitæ dicuntur. Quod ut rationi consonum esse ostendat Bayfius, longa disceptatione locorum inter se collatorum palàm fecit. Nunc ad instrumenta.

Anchora in naui quid sit notius est, quàm ut explicari debeat: Græci ἄγκυραν uocant, l'ancre. Est enim dens ferreus, quo uel in portu uel in medio mari firmatur ac retinetur nauis: quo tempore in salo esse dicitur, ut statim initio huius libelli docuimus. Vnde Virgilius 1. AEneid. Anchoram dixit alligare naues unco morsu. Hinc etiam Soluere anchoras de phaselo, dixit Cicero ad Atticum, quod idẽ in Verrẽ actione septima,

Vela facere, & *Præcidere anchoras*. *Item Liuius tertiæ decadis libro secundo*, *Anchoras uellere protulit*, desancrer: *cui contrarium est*, *Iacere anchoras* : & *cætera id genus*: ancrer, prendre terre.

Anchoralia(*ut etiam de funibus nauium dicamus*) *dicuntur ij funes*, *quibus religata est anchora*, les cables. *Vnde Liu. loco suprà scripto*, *Vt ne quid teneat*, *anchoralia*(*inquit*)*incidunt*. *Cæsar secundo belli ciuilis*, *anchorarios funes appellat*.

Anchoræ autem & anchoraliorũ formam antiquam Romæ inuentam, *animi gratia hîc tibi depinximus*.



A. *Anchora*.
B. *Anchorale*.

Erant & alij funes, *quibus post firmatam anchoris nauem ipsa in portu religabatur*, *ut stabilior esset*. *Græci* ἀπόγαια, *uel* ἐπίγαια, *uel etiam* ἀπόγεια. *uulgus nostrum uocat* la fermeuse. *Latini ora appellarunt*. *Vnde orã soluere apud Quintil. pro recedere à portu*. *quod Lucian*. τὰ ἀπόγεια λύσασθαι *in* Hermotimo *dixit*. *Liu*. 3. *deca. lib*. 2. *Vixdum omnes conscenderant*, *cùm alij resoluunt oras*, *alij anchoram uellunt*. *Prymnesia etiam Græci uocant*. *Plura apud Bayfium*.

Rudentes autem, *funes erant alij nautici*, *quibus*

uel onera ſubleuabantur, uel uela ſurſum erigebantur, ac deorſum deprimebãtur, le cordage, les haultbãcs. *dicti quòd cùm agitantur, ſtridorem emittant, ut quaſi rudere audiantur. Vnde Virgil. Inſequitur clamórque uirûm, ſtridórque rudentum. Cicero autem rudentum ſibilum appellauit.* Rudens Græcis *κάλως dicitur*, les cables: *quanquam calos etiam pro ſcala funibus contexta, qua in corbẽ aſcenditur, ſumi poſſit. uulgus nautarum* Rothomagenſium *uocat* les figures. *Cæterum Plautus, rudentem pro ora accipere uidetur.*

Funes item opiferi dicuntur, quibus antenna huc atque illuc circunducitur, ut uela uentis obſecundent. Vulgus nautarum uocat les valenſines.

Palus autem dolatus in acumen, & cuſpide præferratus, qui nauis religandæ cauſa in litore figebatur, antiquis dictus eſt tonſilla. Actius, Tacete, & tonſillas in litore edite, vn pieu. *Plautus autem, prymneſia pro tonſillis poſuit.*

Clauus in naui, id eſt, ad quod gubernacula copulantur, le garrot. *quem nauis magiſter & gubernator in puppe ſedens dabat operã, ut rectum teneret. unde prouerbiũ à Quintiliano uſurpatum lib. 2, Dum clauum rectum teneam, id eſt, dum meo fungar officio. Clauum etiam tenere* Reip. *uel alterius rei, pro gubernare, à Cicerone eleganti metaphora dicitur.*

Gubernacula in naui dicta, quæ clauo adhærebãt, quǽque is tractabat in puppi qui gubernator & dominus nauis à Cicerone appellatur, à Græcis autem κυβερνήτης, le patron. *dicta ſunt etiam ipſis πηδάλια, quæ à noſtris gubernacula,* les gouuernaulx.

Qui uerò in prora ſedebat, ut etiam nauem rege-

ret, iubente tamen gubernatore, à Græcis πρωρεὺς καὶ πρωρέτης, à Latinis proreta dicebatur. Apud Iurecõsultos in lege Cotem. §. dominus ff. de publicanis.

Parasemon quoque nauis in prora collocabatur, hoc est, nauis insigne. Naues enim ferè omnes habebant insigne suum quod in prora adfigebatur & erigebatur, ut inde cognosci facile possent. aliæ enim Isidem deam, aliæ anserculos, aliæ hircos, aliæ arietes pro insignibus suis gestabant: quemadmodũ latissimè docet Bayfius. Sed & anserculus ferè omnibus cõmunis erat, atq; in puppi collocabatur: quod facile agnoscas ex loco Luciani in ueris narrationibus. Græcis χηνίσκος dicitur.


Huius autẽ forma ex antiquis monumentis ferè talis fuit.



Perpendiculum illud nauticum omittendũ non est inter instrumenta: quod siue plumbeũ fuerit, siue alterius materiei, à Græcis βολὶς appellatur, cuius mentio facta est in actibus apostolorum. Est autem pondus funiculo affixum, quo demisso, nautæ explorant maris altitudinem. dictum ἀπὸ τοῦ βάλλειν, hoc est, à mittendo siue iaciendo.

Eius formam antiquam acrostolio appẽsam, in antiquo monimento sic uidimus.


A. *Acroſtolium.*
B. *Bolis.*



Erant etiamnum communia quædam inſtrumenta nauibus præſertim bellicis, quibus naues retinebantur, ut cominus pugnarent. Cæſar manus ferreas, & harpagones appellat, crochets a harper les nautres : *Ii (inquit) manus ferreas, & harpagones parauerant. Græci* χεῖρας σιδηρᾶς καὶ ἅρπαγας *nominant: quorũ inuẽtorẽ Anacharſim fuiſſe refert Plinius. Erant & corui, de quibus Polybius, atque alia inſtrumenta: quæ potius rei militaris tractationi propria ſunt, quàm ut inter nauium partes hîc adſcribi debeant. Itaque de his plura dicere ſuperſedebimus.*


Nunc uerò ad quarundam picturarum expreſſionem ueniendum, quibus adoleſcentulorum ingenia minus adhuc in hiſce rebus exercitata iuuari poſſint, ut facilius nauium partes, earundémque formas cognoſcant. Eas autem ideo hunc in locum diſtulimus, ne quid inter rei ipſius explicationem ac tractationem confuſum uideri poſſet, aut ingeniis aliò intentis obeſſe.

Nauis longa, quæ biremis celeris & leuis ab antiquis dicebatur, item etiam Lyburnica, quemadmodum suprà docuimus.



A. *Prora.*
B. *Acrostolia.*
C. *Proreta.*
D. *Catastromata.*
E. *Velum, supparum.*
F. *Puppis.*
G. *Latera.*
H. *Carina, alueus.*
I. *Comba, dryochos.*

Nauis longa, maior & potentior, rostrata, tecta, turrita, & quæ uelis ac remis (qui septem in ordine sunt, unde hepteres dicta) agi poterat.



A. Corbis, unde Corbita.

B. Cornua, antennarum extremæ partes.

C. Antennæ, ad quas uelum religatũ uides: quod maius cùm sit, artemonem antiqui uocarunt.

D. Malus.

E. Rudentes.

F. Opiferi funes.

G. Prora.

H. Catastromata.

I. Parasemon.

K. Rostrum.

L. Rostrum tridens.

M. Turris.


N. Puppis.

O. Clauus.

P. Gubernaculum.

Q. Remi.

Nauis oneraria, Græcis τριάρμενος dicta, à tribus uelis: quanquam nonnullæ ædificentur hodie quæ etiam πεντάρμενοι, & nescio quid præterea dici possint.



A. *Vulgus nostrum uocat* le matereau de bourset: *quòd ei uelo superiori præsit in corbe collocato, cui nomen imponunt* le bourset.

B. *Carchesium, summa pars mali. malus autem hic, uulgò uocatur* maistre mats, ou mats de hune, *quod huic solo corbus superposita sit.*

C. *Trachelus, media pars mali.*

D. *Pterna, inferior pars mali.*

E. *Malus in puppi, uulgò* la misane, ou mats de derriere.

F. *Malus in prora, uulgò* mats de deuant.

G. La raque.

H. *Fori*, le tillac.

Hæc autem sunt quæ ex Bayfij doctissimis uigilijs in adulescentulorũ gratiam breuiter collegimus. Quæ (quemadmodum initio diximus) si quidem digna uidebuntur quæ legi debeant, ipsius authoris beneficio ac beneuolentiæ habenda est ab ijs gratia. Nos enim hac in re nihil præstitimus quod unusquisque apud se facile colligere non possit. Fatendũ est enim, & ingenuè proloquendum: ne quisquam fortassis credat, nos ex alienis laboribus fructum aliquem, aut etiam laudem uel minimam quærere uelle.

INDEX COPIOSISSIMVS Græcarum, Latinarum & Gallicarum dictionum, quæ in his de re Vestiaria, Vascularia, & Nauali libellis explicantur, solo paginarum numero adnotato.

X

Z

Y

Olla [aula] Hala diminitivum aulula, undè Comedia Plauti
Aulularia # reptans à sene auri plenam aula[m]